

ol.ev.gen.
667

Theol Reform 23

GISBERTI VOETII

Theol. in Acad. Ultraj. Professoris

DIATRIBÆ,

DE

THEOLOGIA,

PHILOLOGIA,

HISTORIA &

PHILOSOPHIA,

SACRÆ

Cum Indice Locorum quorundam Script.
& Syllabo mater. ac quæstion. Philo-
sophico-theologicarum.



RHENO-TRAIECTI,

Apud SIMONEM de VRIES. 1668.

82

234

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden

Lectori S.

Philosophiam Theologiae *Ancillan*tem, seu *famulam*, & *pedisequam* ejus, haecenus asseruerunt Theologi Orthodoxi; & usum ejus in specialibus textibus scripturae, aut capitibus ac quaestionibus Theologicis explicandis, ac contra adversarios defendendis, ostenderunt. Vide inter alios Augustinum de doctrina Christiana lib. 2. Baronii theologi Abredonensis tractatum tit. *Philosophia Theologiae ancillans*. Melanthonem in commentariis ad Coloss. 2. vers. 8. Keckermann. lib. 1. Praecognit. Philosoph. cap. 4. Henr. Altingium loc. 1. Theolog. problematicae pr. 5. & 7. Ioh. Henricum Hottingerum in Pentade tit. 3. *Specimen philosophiae historicae* num. 10---16. Ioh. Henricum Alstedium lib. 2. Praecognit. theologic. cap. 10. 11. apud quos & aliorum theologorum testimonia adducuntur. Meisnerum in *Philosophia sobria*, in dedicator. in proemio, & in quaest. generali pag. 9---53. Hyperium lib. 1. de ratione studii theologi cap. 4. 5. 6. 7.; aliosque ejusdem commatis scriptores. Philosophiae & Philologiae utilitatem ad scripturae explicationem, & solidam eruditionem Theologicam agnoverunt praestantissimi quique theologi, quotquot scriptis suis Philosophica aut Philologica inspargant, imprimis qui ex professo editis scriptis philosophicis aut philologicis inclaruerunt: quorum

PRÆFATIO.

numerum non exiguum recenseo lib 2. Bibliothecæ sect. 1. cap. 23. Sed contra hunc famulatum & usum Philosophiæ, imprimis Logicæ & Metaphysicæ, inscripserunt duo hominum genera.

Primi generis Philosophiam rejiciunt tanquã *peima kakon*, seu simplicitati fidei & sapientiæ scripturarum repugnans: quales *Enthusiastæ*, *Anabaptistæ*, & omnes illi, qui se fratres crucis (Roseæ crucis) nominant, ut loquitur Hottingerus libr. & loco cit. pag. 106. qui exhibet ibidem convitia, quibus philosophia & philosophi onerantur a Christoph. Raselio, & Angelo Werdenhagen scriptore Politico: qui omnes cum Ramo, & hodiernis quibusdam Philosophiam in totius Christianismi scholis tradi solitam, vel hoc nomine abominantur, quod ab Ethnicis hauriatur, præsertim ex Aristotele. Quasi scilicet Medicina, Geometria, Optica, Astronomia, Geographia, &c. ex Christianismo profliganda sit, ob Ethnicismum Hippocratis, Galeni, Euclidis, Archimedis, Ptolomei, &c.

Secundi generis sunt, qui contra totius Christianismi consensum, philosophiam theologiæ ancillantem strenuè & fastuosè negant; eamq; dominã & magistrã constituunt. Quales notat Hottingerus ibid. pag. 111. tum Gentiles, tum Christianos. Quorum isti ad Christianismum conversi ex Gentilium philosophorum, præsertim ex Platonis lacunis hausta, theologiæ Christianæ admiscuerunt; ut Valentinus, Saturninus, Basilides, Tatianus, Harpocrates, Marcion, Simoniani, Gnostici, &c.

De

PRÆFATIO.

De quibus scriptores hæresion; & Irenæus lib. 2. contra hæreses cap. 19. Tertullianus lib. de præscript. cap. 7. Ut jam non dicam de Origene, Iustino Martyre, &c. theologis scholasticis, de quibus nos 1. part. select. disp. tit. de theologia scholastica. Tertullianus in lib de Anima cap. 23. ait, *Platonem omnium hæreticorum condimentarium factum.* Ut vel hinc videas quâ historiæ philosophicæ & ecclesiasticæ cognitione non nemo ex Soli-ipsorum & imaginariæ Pansophiæ familia philosophos (Coloss. 2. vers. 8.) interpretatus sit peripateticos; quippe quorum philosophia tunc in scholis regnabat. In quâ quæso Utopia, bone vir? In Græcia, in Syria, in Latio, in Iudæa? Longè aliter Melanthon, aliique commentatores ad locum cit. Et vel lectio istius capituli, & notæ marginales Belgicæ satis ostendunt, intelligi philosophos Platonicos, Iudæorum Essæorum magistros. Vide scriptores de Sectis Iudæorum. Enthusiasticis superioris sæculi, & fratribus rosæ crucis hujus sæculi, ut & Weigelianis (quos Altingius loco cit. adjungit Enthusiasticis & fratribus Rosæ crucis) & Werdenhagen Paracelsico-Libertino-Enthusiasticæ, hac in parte affines sunt, hodierni aliqui soli-ipsi, qui communem & receptam in scholis Christianis philosophiam repudiant, Logicam etiam, & Metaphysicam vulgarem inutilem proclamant: ad quas ipsorum molitiones vastitatem, barbariem, schismata in scholis, & postea in ecclesiis ac politiis secutura (nisi Deus avertat) non vanè metuendum est. Quid sibi velit,

PRÆFATIO.

Philosophia scripturæ & interpretis &c. & norma infallibilis (quæ horribilis titulus libello anonymi præscribitur) theologi aliquot orthodoxi jam detexerunt; & ultra cū Deo detecturi sunt: si Socinismi proxenetæ, aut sui spiritus, aut sui *logos endiathetou* mangones, retrimen- tū hoc opinionis purgare pergant. Nos cū talibus orthodoxæ fidei defensoribus hætenus manus jun- ximus: discipulos nostros publicè privatimque pro viribus præmuniendo. Aliquod hujus indicatiū præ- stabunt præsentis, quas edimus, tū diatribæ de The- ologia, Philologia, Historia, Philosophia sacra; tum selectorū textuum scripturæ index, & materialiarū ac quæstionum Philosophico-theologicar, syllabus. Quod si ex his sæpius privatim propositis, studiosi deprehendere potuerint, aliquem, si non magnum, Philosophiæ, præsertim Logicæ & Metaphysicæ *vulgaris* (uti nonnulli appellant) in Theologia esse u- sum: utique ipsis & mihi gratulabor.



D E

THEOLOGIA:

Resp. ISAACO SNYERO, Berg-op-Zom:
Brabant. 3. Julii MDCXLVII.

§ 1. **L**Ocorum communium plena, exacta, & solida cognitio quantum momentū ad eruditionem theologiam, omnesque ministerii actus in Ecclesiis & Academiis ritè exercendos adferat, multis probandum non est. Cum experientia satis clamet, quam parum feliciter, dextrè & expeditè quoscunq; libros & textus Scripturæ pro concione explicare, doctrinas cum rationibus, & usibus practicis depromere, quæstiones morales & casus quoscunque propositos determinare, consilia theologica conscribere, errores quoscunq; refutare, rudes catechizare, filios Prophetarum instruere; scripta & acta Theologica & Ecclesiastica, ubi ita necessitas tulerit, cum iudicio aliquo concipere & dictare queant, ita ut omnia bene cohæreant, qui hac in parte deficiunt. Omni ergo ope enitendum, ut Theologiæ Candidati in toto cursu Academico exerceantur in accurandis conceptibus non unius atque alterius, aut paucorum quorundam, sed omnium in universum locorum communium per totum Scripturæ systema sparsorum. In quo, cum Professores Theologi hujus Academiæ tum publicis Lectionibus, tum Disputationibus pro virili desudent, iidemq;

A

videmq; ut & aliqui ex Rever. ipsorum Collegis in Ecclesia hujus ministerio, frequentioribus privatis collegiis & examinibus assiduo studiosis quibusvis pro vario eorum captu & profectu, inserviant, cum Deo speramus fore ut palestritis nostris aliquando parodicè applicetur illud vulgatum: *Bonus instituta, bonus Jurista.* Ut autem & ipsi, & imprimis alii φιλομαθεῖς, qui in ministerio aut in aliâ aliquâ functione, aut in otio literatorio extra hanc Academiâ degunt specimē aliquod videant eorū, quæ ex problematis nostris publicè privatimque determinare solemus, selegimus nonnulla ad omnes illos locos communes reducenda, hæcenus editis διατριβαῖς non explicuimus, nec in posterum etiam explicare intendimus. Initio factio, primo loco de Theologia, in aliis sic perrecturi, siquidem clementissimus Deus vitam, valetudinem, otium, occasionem gratiore concesserit. Præmissâ tamen hac protestatione, nos in omnibus circa τὸ ἀκριβὲς methodi acroamaticæ ac didascalicæ disquisitiones pro modulos sine cujusquam insectatione, contemptu, aut communis ac receptæ orthodoxiæ præjudicio.

§. 2. Problemata de definitione Theologiæ sint ista I. *Probl.* An definitum hic sit Theologia quacunque notione accepta, in varias species dividenda, archetypam scil. & ectypam; Christi, angelorum, hominum; & horum veram, falsam; item naturalem eamque geminam, & supernaturalem; ad hæc ordinariam, extraordinariam, eamque per visionem, oraculum, somnium; rursus ante lapsum, post lapsum, eamq; vel in gratia, vel in gloria? *Resp.* Omnes illæ Theologiæ unico genere proximo unaq; definitione reali contineri & explicari, ac consequen-

sequen-

sequenter in species distribui nō possint. Sed potius unum est nomen *πολόσημον*, cujus varia significata explicanda: ita ut pertineat ad explicationem terminorum. Theologia enim vera & falsa sunt opposita, & non magis uno genere continetur, quam pygmæus, aut cobalus, aut satyrus, aut homo monstrose pictus, cum vero homine. Theologia Dei uno genere cum humanâ non continetur, nisi analogico. Theologia angelorum, Christi, & extraordinaria Prophetarum & Apostolorum, adhuc beatorum in cælo non definitur nec proponitur hoc loco communi, introducenda per sequentia præcepta, seu per systema, seu theologiam in libro: sed tantum & propriè, theologia ordinaria hominum, & quidem viatorum, post lapsum, seu Christiana. Hæc enim sola in hominem beatificandum à nobis introducenda.

II. *Probl.* An definitum hic sit religio, aut fides salvifica, aut Dei revelatio, aut sacra Scriptura; eaq; idem sint cum Theologia, & promiscuè tanquam synonyma unâ rem significantia in tractatione hujus loci communis, accipi possint? *Resp.* Neg. nisi *ἀκυρολόγως*, & non absq; rerum ac conceptuum confusione & obscuritate. I. *Religio* enim est virtus, quæ partem facit objecti tractationis in theologia. Sicut vita æterna, seu beatitudo, quæ tanquam finis acquirendus proponitur & traditur in theologia, non est ipsa theologia; sic nec religio, quæ tanquam medium ad finem in eadem theologia proponitur. *Deinde* distinctæ sunt earum definitiones, distinctæ in theologia tractationes, distincta loca iis in methodo theologica assignantur, sub distinctis titulis, apud omnes locorum communium scriptores, & Scholasticos. *Denique* religio cum suis actibus & partibus

De THEOLOGIA

4
 ribus cadit in solū regenitū & salvandū: theologia
 etiā in reprobū, irrogenitum, & non salvandum. 2.
Fides salvifica, est pars seu actus religionis, & species
 virtutis theologicę: itaq; eadē argumenta hic mili-
 tant, quę pro distinctione religionis. 3. *Revelatio Di-*
vina & sacra Scriptura, est principium externum & in-
 strumentū divinū theologiæ, seu veritatis & cogni-
 tionis theologicę: *ex quo & per quod*: ergo à theolo-
 gia distinguitur; sicuti causa ab effectu, principium
 à principiato, norma & mensura à mensurato. Deinde
 S. Script. rectè præsupponatur à Thoma p. 1. qu. 1.
 per totum (de quo jã non disquirimus) pro ordinatâ
 compage seu systematē sapientiæ salutaris, utique
 manet tamen esse eam theologiã in libro, quæ pro-
 priè non est habitus nec abstractum quid ad mo-
 dum formæ accidentalis; sed potius relatio, seu
 collectivum, & *συνεδυασμῆν* aut concretum
 quid: quam non minus distinguere debebant à the-
 ologia in mente, quę est qualitas seu forma abstra-
 cte, & per illam introducitur, ac Logicam aliasq;
 artes distinguere solent cum Aristotele, in eam quæ
 est in mente, & eam quæ est in libro, quæ propriè
 & distinctè methodus seu systema dicitur. Notum
 autem quomodo Aristotelica Philosophia causas
 istorum habituum faciat tres *οὐσίαν, μέθοδον, γυ-*
μνασίαν. Iam vero ut causa cum effectu, principi-
 um cum principiato, scientia aut ars in mente cum
 scientia & arte in libro seu systemate & methodo
 præceptorū confundenda non est; sic nec sacra scri-
 ptura cum theologia.

III. *Probl.* An genus theologiæ sit doctrina, aut
 disciplina, aut prudentia, aut scientia, aut intelli-
 gentia? *Resp.* Si usū scripture spectes, unumquodq;
 istorum pro genere assignari potest. Vide Ephes. 1.

De THEOLOGIA.

17. 18. Phil. 1. 9. Col. 1. 6. 9. Prov. 1. & 2. &c. Matth. 28. 19. coll. cum Prov. 4. 2. Sin vero usum & distinctionem istorum in Peripatetica, & communi scholarū Philosophia spectēs, videretur dicenda *sapientia* quod ad theoriam de Deo, & *prudētia* quod ad praxin fidei, spei, caritatis, totiusq; cultus instituti. Quod autem eximius quis Theologus putat pro genere propriissimè assignari debere *doctrinā*, eo quod sit cognitio revelata & quæ à Deo doceatur: id nimis subtiliter quæsitum, & consequenter minus solidum, mihi videtur. *Primo*, quia pari immo majori jure *μάθησις* & *μαθήματα*, h. e. *discētia*, Hebr. *קבל* dici possit; quia discitur & à Deo recipitur. *איתם* scil. *μαθητευόντες* (Math. 28. 19.) per doctores *θεοπαιδευσε* tum viva voce tum scripto. Sunt enim relata doctrina, & discētia, sicuti Doctor & discipulus. *Secundo*, quia non minus propriè *disciplina* græcè *παιδεία* & *μαθησις* dici posset, vocabulo & philosophis communiter, & scripturæ usitato: ubi etiam Christiani primum dicti sunt discipuli Act. 11. 26. *Tertio*, quia vox *doctrina*, ut & *explicationis*, ab actu aliquo docentis, quamcunq; cognitionem aut scientiā denominat & omni tū theoreticæ tū practicæ, tū naturali tū supernaturali communis est ex usu Script. & Philosophiæ. Certè si velimus *ἀκριβολογείν* putamus vocem *doctrinæ*, non magis definite indicare theologiā esse *theodidachm* aut *theodidakton*, quā esse & haberi eā ex institutione hominū juxta Rom. 10. 14. Matth. 28. 19, 20. Est enim vox hæc utriq; institutioni communis. Iam vero institutio seu doctrina quæ fit per homines, non est Theologiæ essentialis, & consequenter non deberet pro genere assignari: quia posset quis extraordinariò habere Theologiam Christianam absque tali institutione.

uti de surdis quibusdam creditum est. Quinimmo absolutè negari non potest, per solam lectionem Scripturæ posse quem ad Theologicam scientiam pervenire. *Quarto*, quia tum excludi videretur theologia utens, & sola docens definiri; immo non tam habitus theologiæ quam systema. Et sic non minus, immo fortè rectius diceretur *μὲθοδος*, & *Arts*, juxta formulam Aristotelicam *I. Nicomach. I.* immo & Rameam, atque adeo eximii hujus theologi Rameis formalitatibus addictissimi; qui etiam alibi in tract. de Technometria omnes scientias vocat artes. *Quinto*, quia hoc genus præcisè assignando, & nihilominus concedendo non esse alienam vocem intelligentiæ, scientiæ, artis, &c. non videatur satis *διαφυλαττέιν τὰ ἕθνη* de voluntate, proximo Theologiæ subjecto. Nemo enim scientiam, intelligentiam, artem, &c. admittet esse habitus voluntatis & non intellectuales. Concludimus, quodcunque ex supra indicatis vocabulis pro genere assignari posse, aut simpliciter & communissima voce dicendam *cognitionem* seu *notitiam*; quomodo *πολυίσιος* Vossius in tract. de historia, vocem *cognitionis* seu *notitiæ* substituit voci *explicationis* ab accuratissimo Logicæ & methodi Magistro Keckermano adhibitæ: aut si specifica vox quærat, eligendam esse potius *θεοδιδασχὴν*. *I. Doctrinam Divinam*, atque ita eodem sub genere comprehendendi theologiæ ordinariam & extraordinariam, ante lapsū & post lapsum, in via & in patria.

IV. Probl. An sit ex genere cognitionum seu notitiarum naturalium, an supernaturalium? *Resp.* *Poster.* *Affir.* Siquidem hic definimus theologiā Christianam & salutarem, h. e. talem, quæ *πέφυκε* (quæ
ἀπτα

apta nata est ex se, & pro se seu pro sua parte tanquam instrumentum morale) ducere ad salutem. Eam autem esse supernaturalem Principio Matth. 16. 1. Cor 2. Objecto seu *γινώσκω* 1. Timoth. 3. 9, 16. Fine Iohan. 17. 3. non vero naturalem, notissimum est. Sed de hoc forte pluribus infra.

V. *Probl.* An sit actus an habitus? *Resp.* Habitū esse nemo, ut opinor, negabit: quamvis Remonstrantes videantur aliquando habitibus theologicis iniquiores esse. De quo in nostro *Thersite Heautontimorumenos*. Certè exsertè Scriptura nominat *ἐξ ἰψῆς* Hebr. 5 vs. 14. Ad hæc describit eam ibidem & passim tanquam quid inhærens & permanens, non transiens; tanquam formam & principium ex quo & secundum quod operamur; tanquam modum & qualitatem quæ inclinet, modifcet, & faciliet ad actus eliciendos; & à quo quis talis aut qualis denominatur, etiam cum actu non operatur. Confer vulgares Logicos & Metaphysicos de habitibus, & videbis omnes eorū conceptus theologiæ nostræ rectè adaptari posse.

VI. *Probl.* An sit habitus infusus, an vero acquisitus? *Resp.* Neg. si strictè aut strictissimè sumas vocē infusionis, seu impressionis, seu insitionis; ita ut excludat omnia media, omnem successionem, additionem, & incrementū actuum, omnem adhibitionē & usum externorū mediorum. Sic enim infusio tantum facta fuit in Angelos & homines protoplastos, in ipso creationis momento; ad hæc in Christi humanitatem in ipso momento assumptionis & unionis hypostaticæ; ut etiam, suo modo in Prophetas & Apostolos *θεοπνευστος*, & in extraordinariò conversos, aut spiritu interpretationis Scripturæ,

pturæ,

pturæ, & Prophetiæ aliorumque charismatum donatos, quales Paulus, Cornelius centurio aliique Actor. 8. 10. & 19. *Aff.* vero, si in latitudine vocem infusionis accipias. Et sic Actor. 2. vs. 17. & Iesai. 43. 3. Rom. 5 vs. 5. infusio illa indicatur. Cuius synonymum est *datio* Matth. 13. vs. 11. *ἵμῖν ἐδοθη*, cum Ierem. 31. vs. 33. *in corde eorum scribam* & Ierem. 32. vs. 40. Quomodo autem & quo respectu etiam posset dici habitus acquisitus, & aliqui post illam acquisitionem dicantur perfecti Philip. 3. Hebr. 5. alibi explicamus, in 2. part. Select. Disput. tit. de Regeneratione.

VII. *Probl.* An sit ex genere scientiarum Theoreticarum, an Practicarum? *Resp.* Nolim admodum repugnare sententiæ Scolasticorum ad 1. qu. 1. art. 4. quod eminenter in se comprehendat rationem practici & speculativi. Sed non video satis solidè ibidem hoc probari ex eo, quod Theologia Dei sit speculativa & practica, & nostra ejus sit exemplum: Ergo. Vim probationis in eo collocat Hieronymus de Medices in explicatione formali summæ Thomæ: *quod Theologia Dei & nostra sit de eodem objecto, scil. deitate; & nostra à divina derivatur, estq; illius quedam participatio.* Contra excipi posset, objectum theologiæ Christianæ non esse tantum Deum sed & Religionem ac cultum Dei tum naturalem tum institutum; divinæ autem non esse talem cultum. Præterea, omnem praxin nostræ Theologiæ referri ad nostri unionem cum Deo, & Dei adeptionem ac fruitionem: divinam vero scientiam practicam non referri ad adeptionem Dei. Non video etiam satis solidè probari ibidem, theologiam esse magis speculativam, quam practicam. Malim ergo dicere esse magis, immo esse absolutè practicam,

eam, si accuratè & propriè loqui velimus: Ultimus enim actus specificat. Iam vero Theologia Christiana in hac vita (quam hic definitum & explicatūmus) est practica, quia omnis ejus cognitio, & omne *γῶσις* ex se & per se ad praxin ordinatur, & à cognitione incipiendo in praxi desinit, praxi scil. respicientiæ, fidei, spei, caritatis, consolationis in vita & in morte. Hinc dicitur veritas & doctrina secundum pietatem 1. Timoth. 6. Tit. 1. Posset etiam addi, eam methodo analyticâ tractari: quod est proprium scientiæ practicæ. Et sic judiciosè & doctè nostra Catechesis: quidquid Remonstrantes ex genio Theologiæ suæ, & ex contentione contra Catechesin nostram, ordinem hunc in suâ Catechesi invertant; fere eadem dexteritate, qua Piccolomineus ex contentione contra Zabarellam, suum in Gymnasio Patavino collegam, Ethicam suam ordine synthetico conscripsit, media præmittendo, & finem ad finem (lib. scil. 10. & ultimum) relegando. Sed hæc cum *ἀκριβείας ἔνεκα* pro meo judicio liberè communico, nolim quidquam detrahere summis Theologis Fr. Junio, & Fr. Gomaro, qui cum Scolasticis hic sentiunt; & quorum posterior à Remonstrantibus eo nomine, sed immeritò, vapulat. Illi enim Theologiam definiunt & considerant & hujus & futuræ vitæ tanquam unam copulativam, nos autem cum Catechesi nostrâ respicimus solum theologiam viatorum.

§ 3. Atq; hæc problemata de definito, & genere. Sequuntur de differentia, quæ ex notionibus subjecti, objecti, efficiētis seu principii, & finis desumitur.

VIII. Probl. An Theologiæ Christianæ *subjectum* quod seu adequatū sit solus electus & regeneratus? Resp.

B

Neg.

Neg. non magis quam solus homo subjectum est facultatis sensitivæ & progressivæ animalis. Est ergo per studia & externa media, & per internum auxilium gratiæ illuminantis ac coercentis theologiæ habitus in quibusdam reprobis & irrogenitis; sicuti etiam in illis potest esse fides quædam historica, aut *πρόσκαριτος*, item charismata seu gratiæ gratis datæ. Et hæcenus convenit nobis cum Scholasticis ad 1. qu. 1. artic. 6. ad 3.

IX. *Probl.* An eodem modo sit in regenitis & irrogenitis; item an in utrisq; ejusdem speciei? *Resp.* Neg. distinguuntur enim radice seu radicali principio, & specifica ratione formali, item fine operantis, & effectu non minus quam cognitio spiritualis & fides generalis, quæ quamvis in una ratione & forma generali conveniant, proxima tamen seu propriâ formâ & specie secundum subjecta sua distinguuntur. Confer 2. part. Select. Disput. tit. de Simplicitate & Hypocrisi. Quomodo cognitio Platonis & Pauli quod sit Deus, quod sit omnipotens, quod justus, &c. in una ratione generali conveniunt, ratione tamen propriâ formali *sub qua* distinguuntur; quia ille cognoscit veritates illas sub ratione revelationis supernaturalis, iste sub ratione revelationis naturalis: sic Theologia regeniti & verè fidelis, quamvis ipsa seu veritas ejus materialiter & objectivè una eademque sit; specie tamen & forma differt à Theologia irrogeniti: quia objectum formale, seu ratio formalis sub qua, quæ est revelatio salutaris & principium formale, illuminatio scil. spiritus regenerantis & sanctificantis, ut & finis intendentis atque operantis causæ scil. primæ & secundæ, & consequenter effecta propria toto cælo distinguuntur, actus scil. resipiscentiæ,
fidei

fidei, spei, caritatis ἀνυποκρίτως. Habet enim illa ex intentione & ordinatione Dei, & ex natura sua ac proprietate seu virtute specificâ infallibilem cū salute connexionem; estque pars, & actus novæ creaturæ, & effectum novæ creationis, non minus, quam actus fidei, spei, caritatis.

X. *Probl.* An Theologiæ subjectū quo, & proximum, sit intellectus; an voluntas? *Resp.* Affirm. pr. quia formaliter est cognitio, & species habitus intellectualis; uti ex genere ejus supra assignato apparet. Quidquid autē est in genere, est in specie. *Secundo*, cujus proprium objectum est verum, Tit. 1. 1. & τὸ γνωστὸν Rom. 1. 19. illud formaliter est habitus intellectualis. *Tertio*, quia fides quod ad prius momentum, seu fides generalis est actus intellectus; est enim certus mentis assensus: ergo & Theologia, quæ realiter ab illâ non differt. Antecedens in confesso est apud omnes Theologos Pontificios & Reformatos; etiam apud præstantissimum illum Theologum, qui statuit Theologiæ subjectū esse voluntatem. De altero fidei momento, seu speciali & applicante fidei assensu, & certitudine, an propriè sit in mente an in voluntate, alibi & suo loco disquirimus. *Quarto*, quia beatitudo & consequenter Theologia beatorum, formaliter consistit in operatione & in actu mentis, uti disputant Scolastici ad 1. 2. qu. 3. art. 4. & 5. Nec abnuunt nostri. Nos nostram sententiam aperuimus in 2. part. Sel. Disp. tit. de Beatudinis subjecto & actu formali. *Quinto*, siquidem usque ad finem mordicus defendatur theologiam esse in voluntate & non in mente; non videmus quomodo accuratè distingui possint cognitio spiritualis, sapientia, fides, à caritate & observantia; credenda à faciendis

faciendis; mentis illuminatio à voluntatis inclinazione, flexione, immutatione & sanctificatione. *Sexto*, Ipse præstantiss. Theologus, qui disputat eam esse in voluntate, eundem definit, quod sit doctrina Deo vivendi, & concedit pro genere ejus rectè assignari posse scientiam, intelligentiam, artem, sapientiam. Atqui illa esse in mente, non vero in voluntate, ipse cum omnibus Philosophis in sua Technometria & alibi concedit. Videamus nunc rationem, quam pro sua sententia affert. Finis Theologiæ est Deo vivere: (ab autore enim illo, definita fuit, *Doctrina Deo vivendi*) atqui vita illa spiritualis, seu *εὐσῶια* est in voluntate, ejusque proprium; quia est spiritualis actus totius hominis, quo fertur ad Deum habendum, & secundum voluntatem ejus agendum. *Resp.* Non disquiremus nunc, an & quomodo finis seu terminus Theologiæ, vita scil. spiritualis tum quâ bonum honestum est & Deo vivimus, tum quâ bonum utile est & beatè vivimus, sit in voluntate, aut in intellectu tantum aut in utroque. Sed tantum negamus consequentiam & rationem consequentiæ, quæ hæc est: Cujus disciplinæ sive objectum sive terminus, sive finis internus & proximus est in voluntate, illa ipsa est in voluntate ejusque primum, & proprium subjectum est voluntas. Instantiam do: atqui omnium scientiarum & artium finis seu terminus, praxis scil. boni sive honesti sive utilis est in voluntate, & talem *εὐπραξίαν* disciplinæ & artes omnes pro fine suo habent, uti ibidem § 10. & in sua Technometria docet præstantiss. Theologus; Ergo debebat ab illo primum & proximum subjectum omnium artium ex. gr. Logicæ, Rhetoricæ, Arithmeticæ, &c. statui voluntas, non vero intellectus. Quod
quam

quam absurdum sit nemo non videt. Fatemur quidem Theologiam, aliasque omnes doctrinas & scientias ordinari ad ulteriorem quasque terminum, & ad certum finem: sed negamus finem aut terminum aut objectum facultatis, habitus, esse essentialiter aut formaliter idem cum illâ facultate aut habitu. Est enim finis, terminus, actus, illud ad quod habitus ordinatur tanquam medium in esse intentionali seu secundum intentionem & tanquam causa in esse reali secundum realem ac Physicam productionem. Iam vero causa cum causato confundenda non est; nec si quid causæ tribuitur illud ideo causato tribuendum est, aut vice versa. Artes omnes, Logica, Rhetorica, Arithmetica, Politica, OEconomica, Poëtica, Historica, &c. sunt & manent in intellectu tanquam primo & proximo suo subjecto: & tamen ordinantur Politica, OEconomica, Scolastica ad vitam ac virtutem Politicam, aut OEconomicam, aut Scolasticam, quæ sunt in voluntate. Similiter omnes reliquæ artes ordinantur ad aliquem usum & praxin boni honesti aut utilis in vita hominum, iam vero debita & honesta ordinatio & applicatio istarum artium ad praxin boni honesti & utilis est in voluntate, aut saltem non est sine voluntate: inde tamen non sequitur omnium istarum artium primum & proximum subjectum esse voluntatem.

XI. *Probl.* Quodnam sit objectum theologiæ? *Respo.* à quam plurimis, cum communi scolâ ad I. qu. I. art. 7. statuitur Deus. Et ratio palmaria est: quia sub illius ratione formali omnia Theologica ad Theologiam referuntur, & in ea tractantur. Fuerunt tamen nonnulli, ut notatur ibid. artic. citat. qui subjectum (objectum) posuerunt res & signa: alii opera recreationis: alii totum Christum, caput scilicet cum membris, Sed excipitur

ibid. quia omnia illa in sacra doctrina considerantur in ordine ad Deum, ideo Deum debere dici huius scientiæ subjectum. Nos putamus rationem & exceptionem illam non sufficere, nisi vocem subiecti aut potius objecti aliter distinguamus. Omnia in Medicina possent dici referri ad sanitatem, aut ad hominem; in Ethica & Politica ad hominem, aut ad beatitudinem, aut ad virtutem: an ideo indistinctè dicemus hominem esse objectum, & negabimus virtutem Ethicam aut Politicam aut Medicamentorum præparationem atque applicationem esse subjectum? Melius stringeret argumentum, si Theologia esset scientia purè speculativa, sicuti Physica, Astronomia, &c. Sed nec ipsi hoc dicunt, nec si dicerent, nos ipsis concederemus. Videndum ergo an cum distinctione problema hoc commodius determinari non possit. Ut dicantur *objectum translationis* esse omnia credenda & facienda ad salutem, quæ sunt Deus creator & cultus Dei. *Objectum informationis* immediatum mens humana; mediatum voluntas, quæ eadem potest dici objectum directionis.

XII. *Probl.* Quodnam sit principium Theologiæ Christianæ? *Resp.* cum distinct. Principium primum essendi, seu Physicè & directè producens est Deus per gratiam illuminationis internæ spiritus S. sive communem, sive specialem electorum & regenerantem. Matth. 16. 17. 1. Corinth. 2. 5, 6, 7, 8, 10, 12, 14. & 3. 6. Ephes. 1. 17. Principium externum est sacra Scriptura. Quidquid præter illam adfertur ut Consilium, Ecclesia, Pastores, Doctores ad motiva & propositiva referendum est, non ad principia: quia non sunt prima, nec infallibilia, nec in illa est ultima analysis.

XIII. *Proa*

XIII. *Probl.* An principium internum & norma Theologiæ sit recta ratio, aut lumen naturæ humanis mentibus inditum? *Resp.* Vide hoc determinatum in *Disp. de Ratione humanâ in rebus fidei.*

XIV. *Probl.* An principium externum sint articuli Fidei, quæ est de Deo? *Resp.* Ita Thomas cum suis 1. qu. 1. art. 7. Sed non videmus hoc dextrè intelligi posse de primo principio *ex quo*, sed de principiis secundis seu summis & principalibus quibusdam axiomatis de Deo, quæ ex Scriptura tanquam conclusiones deducta sunt; sed quæ rursus respectu inferiorum & subordinatarum conclusionum Theologicarum, quæ ex articulis illis educuntur, possint dici principia, Quod si autem more suo per articulos illos intelligant Apostolicum (ut vocant) Symbolum, formaliter & in systemate ac structura sua consideratum: utiq; negamus illud esse principium θεοπνευστον aut scriptum canonicum, quamvis fateamur materiam ejus cum orthodoxa veritate & sacra Scriptura convenire. De quo in 1. part. *Select. Disput. tit. de Symbolo Apostolico.*

XV. *Probl.* An principium externum sit Logica & sana Philosophia, imprimis Metaphysica? *Resp.* Quod ad rem seu materiam ipsam theologiæ Christianæ qua talis, seu supernaturalis, Neg. Quod ad partes illas quæ naturalis Theologiæ terminos non excedunt, Affirm. esse principium secundarium, Quod vero ad modum & methodum didacticam seu rationem dextrè & perspicuè tractandi theologiam, & adversarios accuratè & solidè refutandi, fatemur esse ejus instrumentum, eique ancillari, atq; adeo medios terminos in argumentando inde suppeditari: sed propterea non dici principium à quo, & ex quo veritas theologica, & in quod
ultima

ultima ejus analysis.

XVI. *Probl.* An finis Theologiæ rectè dicatur vita æterna? *Resp.* Affir. Quamvis nolimus negare distingui posse notionem finis, & pro ejus varietate variè hic pronunciari posse. *Finem operantis* hoc est, varium usum aut abusum Theologiæ pro varietate ingeniorum hic non consideramus, qui possent esse expletio ambitionis, aut avaritiæ, aut studium contentionis, aut curiositas, aut simile quid. *Finem operis*, ultimum statuimus gloriam Dei 1. Corinth. 10. 31. *Finem* proximè illi subordinatum, æternam beatitudinem in cælo 1. Petr. 1. 9. *Finem huic subordinatum*, beatitudinem inchoatam, in hac vita; quam Catechesis nostra proponit quæst. 1. sub nomine unicæ consolationis in vita & in morte. *Finem* huic subordinatum, qui est proximus theologiæ, fidem per caritatem efficacem, seu religionem, seu vitam religiosam, seu praxin pietatis. Hinc facile constare potest, minus solidum esse quod à non nemine dicitur: Rectius definiri theologiam per vitam „bonam qua Deo vivimus, quam per vitam beatam qua nobis vivimus; quia scil. non beatitudo „quæ respicit nostrum commodum, sed bonitas illa quæ ad Dei gloriam refertur præcipuè ac ultimo spectari debet. Sed duo reponimus. *Primum* est *euforiam* seu vitam religiosam ac pietatem esse medium ad *eudæmoniam* & hanc esse finem per illud medium obtinendum. Hæc enim subordinatio 1. *Theologia.* 2. *vita religiosa*, seu fidei & pietatis. 3. *beatitudo* seu gloria inchoata, in hac vita; de quâ Amesius libr. 1, Medullæ cap. 30. Et nostra Catechesis sub nomine consolationis quæst. 1. 4. *Beatitudo* consummata, primo animæ separatæ; deinde totius hominis. 5. *Gloria Dei.* Jam vero constat,
in

in omnibus actionibus, imprimis in practicis disciplinis finem mediis potiore esse & præcipuè ac ultimò spectari debere. De quo Philosophi ad lib. 1. Ethic. Nicom. cap. 1. 5. 10, imprimis 13. & Scolastici 1. 2. quæst. 1, & 2. & nostri ad quæst. 1. Cateches. Alterum est, videri præsupponi bonum honestum religionis, seu vitam piam esse ad gloriam Dei, & non ita bonum utile seu beatitudinis nostræ. Quod absurdum. Respicit quidem beatitudo nostrum commodum; Et sic religiosa vita respicit nostrum bonum honestum: sed utrumq; nihilominus ordinatur ad finem ulteriorem, gloriam scil. Dei.

D E

THEOLOGIA

P A R S A L T E R A.

Resp. IOHANNES MORRIS, Zeelando
10. Julii MDCXLVII.

§. 1. **H**Actenus Problemata ad illustrandam definitionem Theologiæ; sequuntur quæ ad divisionem ejus pertinent. Quibus unum atq; alterum de cura & studio Theologiæ subjiciemus.

I. *Probl.* An Theologia sit una scientia an plures?
Resp. Aff. communiter Scholastici ad 1. qu. 1. art. 3. Nec abnuunt nostri. Quamvis mihi aliquando non improbabile visum fuerit, si distingueretur in istas scientias. 1. Theosophiam seu Pneumatologiam quæ de Deo ejusque operibus, & Angelis ageret.
C 2. Sotiro;

2. Sotiologiam, quæ de praxi fidei & resipiscen-
 tiæ. 3. Politicam Ecclesiasticam, quæ de regimine
 Ecclesiarum. Quarum illa Philosophorum Phy-
 sicæ, seu parti Theoreticæ; ista Ethicæ; hæc Po-
 liticæ responderet. Videbatur autem probabilior
 hæc distinctio; siquidem retinenda esset communis
 sententia Scolasticorum, de Theologia theoretica
 & practica. Sed forte hæc consideratio tanti non
 est. Maneamus in communi Scolasticorum senten-
 tia: sic tamen ut rationes, quas loco citat. adferre
 solent tanquam minus solidas liberè excutiamus.
 Vna desumi videtur ex testimonio Libri Sapientiae
 cap. 10. vs. 10. *Dedit illi scientiam sanctorum. Resp.* Sed
 præterquam quod liber est Apocryphus; minimè
 ad hanc rem facit hic textus. Nam ipsi Pontificii
 interpretes; (vide commentar. Lorini) aut de fide
 & prudentia habitu scil. practico accipiunt; aut de
 peculiari dono Spirit. S.; aut de sciendi actu (*γνώσις*
 habet textus) potius, quam de habitu; aut de scalâ
 & angelis, cæterisque mysteriis in somno extraor-
 dinaria revelatione illi visis. *Altera*, quæ ipsis pal-
 maria est: Quia omnia considerat sub una eadem-
 que formali ratione objecti, scil. quatenus sunt di-
 vinitus seu supernaturaliter revelabilia & revelata.
 Atqui unitas potentiae & habitus, consequenter
 omnis scientiæ, consideranda est secundum obje-
 ctum formale, seu rationem formale objecti. *Resp.*
 Facile hoc argumentum hac instantiâ infringimus:
 omnes scientiæ Philosophicæ, secundum Scolasti-
 cos, omnia *γνώσις* sua considerant sub una ratione
 formali, quatenus naturaliter sunt revelabilia &
 cognoscibilia; nec tamen concedunt Scolastici, eas
 esse unam scientiam. Vide vulgarium cursum
 Philo-

Philo-

Philosophicorū, aut dictatorum Physicorum prolegomena, Toleti, Conimbricensium, Complutensium, Pererii, Ariaga, Mendoza, &c. Præstat ergo substituere sententiam & rationem Scoti in prolegom. ad Lombardum quæst. 3. Vbi statuit de reliquis omnibus præter Deum (quem facit subiectum Theologiæ) ut de Angelis, Hominibus, aliisque creaturis tractari non principaliter, ut de subiecto, sed ad manifestationem subiecti, hoc est, ut ad Deum cognoscendum & colendum referuntur & ordinantur. Quod si huic determinationi quis obijciat, varias & multiplices apud Scriptores occurrere theologias ex. gr. Scolasticam, Patristicam, Ecclesiasticam, Didacticam, eamque rursus positivā & demonstrantem, item Elencticam, Problematicam, Historicam, Asceticam, Mysticam, Exemplarem, Textualem, Naturalem, seu Physicam Theologiam, Theologico-Philosophicam, Juridicam, Medicam Theologiam, Symbolicam, quæ rursus varia, de quibus omnibus Sandeus in tractat. de Theologia varia, & in peculiar. tractatibus de Theologia Symbolica, Mystica, Medica, Juridica. *Resp.* Illas esse tantum varias determinationes; à partibus, aut modo tractandi, aut subiectis, aut aliis circumstantiis desumptas. Ita ut unitati veræ Theologiæ hoc nihil obstet. Confer 3. part. select. Disp. tit. de Theologia Practica.

II. *Probl.* An Theologia eadem sit quæ Metaphysica? *Resp.* Negamus esse eandem, quia differunt, *Primum*, genere. Est enim illa scientia practica, hæc vero theoretica. *Secundo*, subiecto seu objecto non tantum formali, sed & materiali. Theologiæ enim objectum materiale est Deus & res divinæ, seu cultus Dei: Metaphysicæ Ens. *Objec-*

Etum formale illius est, quâ revelata, & quâ salutaria, & atque in se & per se apta nata nos perducere ad Deum, eique nos unire: Istius, in quantum ens, & quâ naturâ cognoscibile. *Tertio*, affectionibus. *Quarto*, Principio: uti ex suprâdictis constat. *Quinto*, fine & effectis: ut notum est. *Object.* Atqui Metaphysica fuit Gentilium Theologia, ejusque loco habita. *Resp.* Hoc totum est per Accidens. Usus aut abusus, aut opiniones hominum, non sunt mensura scientiarum; sed ipsa veritas. *Deinde*, non tota Metaphysica, sed tantum particula partis specialis, Theologiæ respondebat, aut cum eâ conspici-
rabat. *Præterea*, non sola Metaphysica, sed & tota Philosophia ipsorum moralis, immo & Mystico-mythologia Poëtarum (qui præcipui ipsorum Theologi & Prophetæ, ex. gr. Orpheus &c. Epimenides Tit. I. coll. cum Actor. 17.) Theologiæ disciplinæ respondebant. *Denique*, quamcunque Metaphysico-Theologiam habuerint, nulla alia erat quam naturalis, in quantum scil. vera erat, de qua posset dici illud Rom. I. 19. *Deus enim illis manifestavit:* In quantum falsa erat, Theologiæ nomen non merebatur, non magis quam vitium nomen virtutis. Atquin nos hic quærimus de differentia inter Metaphysicam & totam ac veram Theologiam, non vero inter particulam ejus, quæ post naufragium imaginis divinæ ex *leipsanois* luminis naturalis palpando erui solet, Act. 17.

III. *Probl.* An Theologia Metaphysicam comprehendat, tanquam partem sui integrantem; aut vice versa? *Resp. Neg. pr.* Quamvis enim Theologia plenè, doctè & academice concepta aut tradita, ac contra omnes adversarios defensa, omnia aut saltè pleraque transcendentia, virtualiter & in actu

actu

actu exercito, & fere omnes formalitates, & terminos Metaphysicos in se comprehendat; non tamen aut totam Metaphysicā & quidem uno in loco aut per partes & sparsam in variis locis communibus, tanquam partes sui integrantes, in actu signato actualiter & in formā, ac scientificè secundū methodum didascalicam pertractat: non magis quam Logicam, aut Astronomiam, aut Geographiam, aut Physicam, &c. Quod si quidam Theologi, imprimis Scolastici carptim & sparsim data occasione pleraque capita Metaphysica, Theologiæ suæ inseruerunt, adeo ut etiam ex commentariis ipsorum ad Thomam, aut ex Scoti & similium commentariis ad Lombardum aliqua Metaphysica colligi possit (quomodo ex recentiore disputatore Vasquez, Metaphysicæ quæstiones collectæ sunt, & seorsim editæ): inde tamen non sequitur Metaphysicam (præsertim generalem) Theologiā contineri, aut ejus partē esse: quia per cognitionem divisivā & per commentariū illa Theologicis disputationibus insarserunt ad meliorem illustrationem & defensionem: quomodo Theologi, Logica, Grammatica, Rhetorica, subinde inspargunt; non vero tanquam homogenea & *oikeia* istius scientiæ. Breviter ut Logicam docentem & utentem vulgò distinguunt, sic etiā Metaphysica hic distingui debet. Ista comparet in Theologia, in Physica, in Ethica, aliisque disciplinis: illa minime; nisi methodum omnem procul habere, & scientias confundere quis velit.

2. *Neg. post. Primo*, Quia objectum Theologiæ Deus, siquidem cum Scolasticis tale statuatur, non tractatur per se & *oikeias* in Metaphysica, ne quidem in parte ejus speciali, per tractationē divisivā, quomodo de substantia materiali & quantitate, ut & de

Substantiæ finitæ seu creatæ communi accidente, qualitate scilicet, ibidem tractatur, & de accidentium speciebus aliquid delibatur, ad plenioris generis cognitionem. *Deinde*, quia personæ Trinitatis. *Denique*, quia cognitio lapsus & status peccati, & redemptio per Christum, & cultus Dei tum naturalis tum institutus, ibidem non tractatur, saltē non in actu signato. Nam quod subinde ad formalitates Metaphysicas declarandas, aut definitæ alicui materiæ ac quæstioni Theologicæ easdem applicandas, Theologici quid in Metaphysicis comparet, id non magis Theologiam facit partem Metaphysicæ, quam Logicæ alicujus, quæ exemplis Theologicis referta est, aut Rhetoricæ, aut Grammaticæ Hebrææ, ex. gr. Buxdorsii lib. 2. ubi in Syntaxi Hebraïsmos egregiè explicatos congerit, & varia scripturæ loca illustrat.

IV. *Probl.* An Theologia Metaphysicæ subalternata aut subordinata sit? *Resp.* Neg. 1. *Quia* est scientia prima & independens. 2. *Quia* deest secunda conditio subalternationis etiam latè & rectè, meo iudicio, acceptæ, (nimis enim eam tertia sua conditione de qualitatibus sensibilis additione coarctat peripatetici Magister, & si qui hodie illum sequuntur,) scilicet. Ut scientia inferior seu subalternata à superiori seu subalternante principia sua accipiat. Iam vero Theologia à Metaphysica non accipit principia sua sive primum omnium, verbum scilicet Dei, sive secunda, hoc est, prima & generalia axiomata atque articulos fidei. Nullum enim eorum in Metaphysica tractatum, aut tanquam conclusio demonstratum habetur. Nec obstat quod Metaphysica universalissimis suis transcendentibus, Theologiæ, ejusque conceptibus distinctè formandis

mandis

mandis & exprimendis, ancillatur. Hoc enim non magis Theologiam subalternat Metaphysicæ, quàm Logicæ, aut Grammaticæ, quæ itidem suis generalissimis notionibus & terminis Theologiæ ancillatur. 3. Quia subalternatur scientiæ Dei & beatorum, tanquam se alteriori: ergo non subalternatur Metaphysicæ. Sic quidem ex mente Thomæ & sectatorum 1. qu. 1. artic. 2. argumentari liceret. Antecedens suum sic probant: Scientiæ subalternantes sunt, quæ procedunt ex solo lumine intellectus: subalternatæ, quæ procedunt ex principiis notis lumine superioris scientiæ: ita ut principia ejus in ipsâ sint inevidentia, in superiori scientiâ sint evidentia. Atqui Theologia viatorum est ex principiis notis lumine scientiæ Dei & beatorum. Ex quibus sequi ajunt, quod sicut Musica credit principia sibi tradita ab Arithmetica; ita sacra doctrina credit principia revelata sibi à Deo. Scio quidem à Scoto & Scotistis hanc Theologiam Thomistarum cribrari, ut videre est in Scoti, Gulielmi Scotorelli, &c. proëmialib. ad Magistrum, & Pelbarti Themelvar quest. proëmial. Rosarii lib. 1. 5. 10. Et Rhada part. 1. controversiar. inter Thomam & Scotum, controvers. 2. Artic. 3. Et Sandei lib. 4. theol. variè comment. 6. Est autem unicum aut præcipuum opinionis Scotisticæ fundamentum, quod theologia Dei respectu necessariorum sit propriè & strictè scientia, aut potius sapientia; nostra vero non sit, sed tantum reductivè: de quo Rhada prolixè controvers. citat. artic. 2. Cajetanus contra Scoti impugnationes Thomam defendit in Commentar. ad loc. citat. Nos veritigatione circa hoc argumentum omisâ, pro nobis saltem sumimus, verbum Dei seu scripturam
(quæ

(quæ Fidei & Theologiæ nostræ principium) non posse aut deberi apud Christianos directè, ostensivè, & à priori demonstrari, uti recentiores Pontificii atheorum larvâ induti hoc perpetuò à nobis flagitant, sed debere accipi tanquam principium à lumine superiori.

V. *Probl.* An ergo si Theologia Christiana re-
ctè & plenè tradatur, aliqua fit aut supersit scien-
tia, quæ *Metaphysica* dicitur, & aliquis ejus usus?
Resp. Negat eximius quis Theologus Rameæ Phi-
losophandi methodo addictissimus, hoc argumen-
to: Quod *Metaphysica* fuerit Peripateticorum fi-
des, hoc est prior pars Theologiæ; fatente etiam
Franc. Zwarez in *Metaphys. disp. 1. sect. 5. n. 43.*
Ethica fuerit ipsorum observantia. Nos ad hanc
rationem sic *Resp. 1.* Non Philosophi alicujus ex-
gr. Aristotelis aut cujuscunque alterius *Metaphy-*
sici Ethnici, aut Muhammedistæ, aut Christiani
factum hic respiciendum, sed jus & ratio ipsius sci-
entiæ in se, in abstracto, & in idea, secundum rei
veritatem. Est ergo λόγος hic planè ἀλογος. Li-
cebit mihi similiter argumentari, Nulla est ars Lo-
gica, nulla Medica, nulla scientia Physica, nulla
Theologia, &c. nullus istarum usus, quia hic aut il-
le autor eas male & perversè tractavit. Inspici-
antur modo *Metaphysicæ* plenè & methodicè tra-
ctatæ (quales non paucæ nunc existant) & statim pa-
tebit, partem generalem totam & partem specia-
lem (excepto uno atque altero capite de Deo &
Angelis) nihil minus in actu signato & δικρίτως tra-
ctare, quam articulos fidei, & capita prioris partis
Theologiæ, Quæ eximius hic Theologus, aliique
locorum communium Scriptores tractare solent.
Ne

Ne

Ne dicam propriam & peculiarem tractationem de Deo, de Angelis, judicio nostro & quorundam Metaphysicorum sive ad Theologiam, sive ad peculiarem disciplinam, quam Pneumaticam vocant, amandari posse. 2. Minor hujus argumenti absolute Neg. Provocamus ad *autopsian*. Neque enim in 12. Libris Metaphys. Aristoteles sive verè sive falsò tractat de Deo & rebus divinis, quæ responderent primæ parti Theologiæ. Minimè. Nihil enim ibi compareret, nisi lib. 11. cap. 7. Vbi occasione motoris, per viam divisivam aut digressionem, aut commentariū paucula delibat de primo motore, Deo scil. Quod si dicatur Zwarezium, aut recentiorum quem scolasticum, ita censere: repominus, *Primo*, unum aut duos non facere communē scolam, aut antiquam Gentilium, aut mediam Peripateticam, Arabum & Scholasticorum, aut hodiernam totius Christianismi. *Deinde*, si quis Zwarezii Metaphysicam modo inspiciat ilico deprehendet, quidquid dixerit Zwarezium loc. cit. (cujus verba aliam interpretationem admittunt) non tractasse eum in parte communi (quæ propriè est Metaphysica, & contemplatur Ens quæ ens) Theologiā naturalem, in actu signato, seu fidem naturalem de Deo & rebus divinis. 3. Eximius ille Theologus in scriptis Theologicis, si quisquam Reformatorum, Metaphysicam utentem & in actu exercito cupide & doctè adhibet, sequutus Scholasticos ipsi familiares, Bannes, Rispolis, Alvarez, Azoriū. Idem Twissii Librum *Metaphysikotaton* tit. Vindicix gratiæ &c. in forma approbavit. Quin & disputationē *Metaphysikotaton* Parkeri de *Traductione peccat. &c.* à se privatim lectā & probatā, ac sub præsidio D. Maccovii postea Franek. propositā, in Synodo Dordracenā A. 1618.

D

CONTRA

contra censuras & accusationes quorundam, defendendam suscepit, & per me, qui Synodo intereram, hoc publicè ibi nuntiari voluit. Quod etiam tunc feci. Iam vero quidquid terminorum, definitionum, distinctionum, axiomatum in scriptis Theologicis in actu exercito alicubi adhibetur, id in ipsa Theologia, aut in alia quacunque scientia ex professo in actu signato, & *omnes* tractari debet, & quidem (ut ad hominem loquar) secundum tres leges Rameas *kata pantos, kath' auto, katholus praxion*. Atqui non fit hoc in Theologia ex. gr. de Ente, essentia, existentia, subsistentia & supposita- litate, de modo, de abstracto, concreto, uno, ve- ro, bono, perfectione, duratione, ubicatione, lo- calitate, præsentia, potentia, actu, ordine, princi- pio, causa, necessitate, contingentia, possibili, im- possibili, finito, infinito, &c. Item ex parte specia- li De substantia, accidente, ejusque speciebus; De absoluto, & relato, Ente finito & creato, quæ sal- tem sub generalibus notionibus & conceptibus in- telligi, & à se invicem distingui debent. Nec fit in alia arte aut scientia, Physica, Mathematica, Lo- gica, Rhetorica, Grammatica. Ergo. Sed exci- pit alibi (ni fallor), omnia hæc aut Logica esse & ibi tractanda, aut pertinere ad Lexicon Philoso- phicum. *Resp.* Hactenus in Rami Logica omnia illa Theologis tritissima & usitatissima, ac scitu maxi- mè utilia, invenire non potuimus. Nec etiam vide- mus, quomodo ex Scolasticis & ex nostris Twisso, Francisco Junio, Daneo, Zanchio, Ferrio, aliisque Theologis à Metaphysicæ & Theologiæ Schola- sticæ usu non abhorrentibus, omnia illa ad Logi- cam, tanquam propriam sedem transferri possint, atque ibi ex rigore trium legum Rami solidè & ple-
né

nè tractari. Quod ad Lexicon Philosophicum, illud cum voces seu Technologemata tantum explicet, sibi definitiones, reales divisiones, explicationes per declaramenta seu argumenta (ut cum Rameis loquar) subjecti, adjuncti, causæ, contrarii, &c. & per theoremata inde enata, una cum quæstionum & controversiarum tractatione vindicare nec solet, nec potest, sed singulis quæque scientiis sua relinquit. 4. Quidquid sit de omnibus illis ad Lexicon Philosophicum, aut ad Logicam relegandis (de quo non videtur mihi à Theologis curiose contendendum; neque enim tanti est): saltem res ipsa nobis salva esse, & accurate doceri ac disci debet, imprimis à Theologis; nec Iuvenes studiosi à Metaphysica per Rami Scholas Metaphysicas absterri. Mathematici & Oratorii ingenii & studii laudem Ramo detrahere nolumus, Sed subtilitates Metaphysicas, & difficillima eruditionis Theologicæ tantum illum penetrasse non credimus, ut magistraliter de iis judicare potuerit. Est & alius præstantissimus Theologus, qui Metaphysicæ utilitatem in Theologia his argumentis dissuadere conatur. I. *Arg.* Quia quæ usum aliquem habent, transumpta sunt ex aliis disciplinis. Quænam illa sint ibi non indicatur. *Resp.* Nos Neg. & instantiam damus de essentia, existentia, supposito & suppositalitate, uno, vero, falso, bono, malo, duratione in genere & æternitate atque ævo in specie, necessario, contingente, impossibili, &c. Hætenus non memini à Ramo aut Rameis ullam disciplinam conscriptam, in qua ista homogeneè & in actu signato ita tractata sint, ut omnibus aliis scientiis, præsertim Theologiæ sufficienter inservire possint. II. *Arg.* Quia ejus abusus est multiplex.

Resp. Hoc est per accidens. Idem de tota Philosophia, & de Logica, Oratoria, Poëtica, Iurisprudencia, Physica, Astronomia, aliisque artibus & rebus utilibus; imprimis etiam de Theologia, de Religione, de Sacramentis, de Scriptura dici posset. Toleratur abusus, & maneat rerum substantia. *Deinde* Neg. abusus illos esse, aut si sint, non posse à Metaphysica separari. Probat autem abusus illos quinque rationibus. 1. *Quia* quæ Theologiæ propria sunt, de Deo, Angelis, Creatione, sibi vendicat, obtento peculiari modo considerandi. *Resp.* Multi scriptores Physici & Medici, Physici & Astronomi, Grammatici & Rhetorici, Physici & Theologi, Physici & Optici, Politici & Iuridici nonnulla simul tractant, sive sub eodem sive sub diverso modo considerandi: quod tamen illas disciplinas non expungit. *Deinde*, de Deo & de Angelis tractarunt Ramei in suis compendiis Physicis. Quis inde concludat contra utilitatem scientiæ Physicæ? *Denique*, si omittatur (quod per nos licet) tractatio illa de Deo, & de Spiritibus in Metaphysica: contra reliqua omnia, quæ remanent, nihil concluditur. 2. *Quia* subtilitates vanas, quæstiones otiosas, opiniones ambiguas ad res Theologicas transfert. *Resp.* Quænam illa sint, indicetur: alioquin nihil dicitur. Nam idem in genere de plerisque aliis disciplinis, Astronomia, Physica, Medicina, Iurisprudencia, Logica, & maximè omnium de Theologiâ dici posset. Si sunt Metaphysici aut Theologi, qui hoc agant, aut egerint, illud arti minimè imputandum, nec illis Theologis, qui hoc non agunt; quales ostendi possent satis multi. 3. *Quia* in utramque partem disputat omnia, & vix quidquam certi habet. Hinc Sceptica Theologia nata: quæ tandem

dem

dem exit in Atheismum: qui enim de omnibus dubitat, nihil tandem credere incipit. Huc pertinet illud. *semper discentes* &c. 2. Tim. 3. 7. *Resp.* Inconsequens planè, & fallacia accidentis. De Theologia eodem argumento, & pari jure facile quis concluderet, qui catalogos hæresion & hæreticorum, & syllabum quæstionum curiosarum, ineptarum, absurdarum, &c. (qualem nos ex parte dedimus) ex Scolasticis modo inspexisset. Idem posset quis dicere de Medicina, Physica, Jurisprudencia, Astronomia, imprimis de Logica, si quis Rameorum disputationes inter se & cum Peripatheticis, & horum inter se consideret. *Deinde* negarent minorem omnes Philosophi qui hodie hanc nobilissimam scientiam publicè docent, & jam inde à Reformatione docuerunt in Academiis Germaniæ, Galliæ, Belgii, &c. Negarent etiam Theologi Pontificii, Lutherani, Reformati, qui hanc scientiã in publicum ediderunt, Javellus, Soncinas, Zwarez, Fonseca, Carathuel, Lobkowitz, Ariaga, Oviedo, Hurt. Mendoza, Meurisse, Thomas à Jesu, &c. Saltem nullo colore de Theologis illis, qui eam orthodoxæ Theologiæ contra Pontificios, aut Socinianos, aut Remonstrantes ancillari fecerunt, quales Iac. Martinus, Sceibleus, Combachius, Alstedius, Maccovius, Kesslerus, Rutgerius, Callovius, Willius, Revius in Zwarezio repurgato. Quibus addantur Theologi illi, qui quidem Metaphysicas non scripserunt, ejus tamen frequentem in scriptis Theologicis usum aspernati non sunt; quales Zanchius, Daneus, Fr. Junius, Fr. Gomarus, Camero, Vedelius, & inter primos nominandi Ferrius, Twissus, Amesius, Rhetorfortis, Baronius.

4. *Quia* distinctiunculis frivolis & ineptis omnia eludit & elidit: mater omnis Sophisticæ & deceptionis.

D 3

Resp.

Resp. Libertini & Neutrales scripta Polemica cuiuscunq; professionis Theologorum hodie in Christo animo disputantium, suo Libertinismo hac eadem consequentiâ obtendunt, & certam veræ Theologiæ & Religionis formulam sulque deque habent. Vbi illis responsum sit, etiam huic objectioni respondebitur. *Deinde,* Negabunt minorem omnes Philosophiæ Professores & Discipuli, omnes Metaphysicæ Scriptores (ad quorum libros provocamus) omnes Theologi orthodoxi, qui in Metaphysica hospites non sunt, aut tædio difficultatis eius studiû inchoatû, sed nondû perfectû, non abiecerunt, aut zelo Philosophiæ Rameæ iniquis præiudiciis se non alligarunt. 5. *Quia* terminos novos, monstrosos, insulsos: phrasas improprias, obscuras invehit: quibus sanos sermones Theologicos in fide & caritate corrumpit. *Resp.* Eadem fallacia accidentis. Quis ferat Theologiam hac aut simili consequentiâ ex numero disciplinarum expungi, aut Logicam: siquidem omnes Logicos, Peripateticos, Rameos, Lullisticos, quis percurrat? *Deinde,* Negamus factum, & provocamus ad autores Metaphysicos modo indicatos, præsertim Reformatos: Siquis Campanella, aut frater roseæ crucis, aut Paracelsisticus, aut Metaphysicus Platonicus, aut Metaphysico-verbosus Socinianus, aut Enthusiasticus, aut Rameus Ciceronianæ phrasios in Philosophia sectator (quomodo Castellio in translatione Bibliorum) aut novellus quis communis & sanæ Philosophiæ in Academiis Christianis tradi solitæ adversarius nec se nec alios intelligens *kainophonias* delectatur, & novum Lexicon Philosophicum pro renatâ fabricando obscuritates invehit; ille nullo numero habetur, & à vera Metaphysica, ac Metaphysicis

physicis

physicis arguitur. Denique, quidquid hic defectus sit, illud corrigi debet ac potest à Philosophis & Theologis; & sic scientia Metaphysica terminorum accurata explicatione magis magisque perfici; non vero ex scolis hoc pretextu eliminari. In Logicis, Rhetoricis, Physicis, Theologicis, &c. hoc præstari, & porro præstandum nemo negaverit, qui viderit *Lexicon & conciliatorem Goclenii*, *Lexicon Theologicum I. Altenstaig*, *Terminos Armandi de bello visu*, *Distinctiones Castanei*, *Clavem Scripturæ Illyrici*, *Westhameri tropos Scripturæ*, *Alstedii distinctiones Theologicas*, aliosque similes Scriptores. Ne quid dicam de quorundam systematis Logicis, Synopsibus, Thesibus, & Locis communibus theologicis, ubi accuratè omnes omnium termini notantur & explicantur.

§ 2. VI. *Probl.* An convenient Theologia naturalis & supernaturalis; an vero specie distinguantur. *Resp.* Hactenus conveniunt ut non pugnent, quia communem habent autorem seu principium Deum; & commune objectum, veritatem de Deo Rom. I. 19. & commune subjectum, mentem hominis seu rationem. Specie tamen distinguuntur, siquidem objective & in abstracto eas consideres, quia illius principium formale & proprium est lumen seu revelatio naturalis; hujus revelatio supernaturalis: objectum illius est veritas aliqua Theologica; hujus omnis veritas Theologica ad salutem ordinata, & signanter veritas de Trinitate, de tota doctrina Evangelica, deque liberatione per Christum, veritas totius doctrinæ de cultu instituto: *Subj. um* illius est quilibet homo; hujus nemo, nisi qui externa revelationis supernaturalis, & interna illuminationis gratia dotatus est. Sed si subjective Theologias

ologias

ologias illas consideres, ut sunt in eodem subjecto, non distinguuntur specie, sed tantum gradu & respectu; quia superior inferiorem includit, & in se continet. Hanc aliter ac Philosophi distinguunt de anima sensitiva considerata in cane & in homine: ibi enim specie & numero à rationali distinguitur; hic minime. Et Theologi Fidem miraculorum, aut Historicam in reprobo & irrogenito specie distinguunt à Fide justificante; in regenito non distinguunt.

VII. *Probl.* An tota Theologia Ethnicorum fuerit naturalis, & vulgò rectè talis dicatur? *Resp.* 1. Si latè & indistinctè accipias vocem *naturalis*, prout opponitur *supernaturali* revelationi divinæ. *Aff.* 2. Si stricte accipias prout notat corruptionem (ut Ephes. 2. 3.) *Neg.* Quia quidquid in eâ erat veri, & naturaliter à Deo revelati, (Rom. 1. 19.) id hac acceptione non poterat dici naturale, aut vitiosum, aut malum, objective, materialiter, in idea, in se, & per se consideratum: quamvis subjective & formaliter consideratum & per accidens abusus eorum prout scilicet illi vero & bono male seu non bene utebantur, sed & theoretice & practice abutebantur (Rom. 1. vs. 21. 22. Iudæ vs. 10.) illudque tandem corrumpebant, malum fieret. 3. *Si* stricte & proprie accipias, pro eo quod lumine naturæ interno & externo, seu ex recte rationis principiis & ratiocinatione innotescit, *Neg.* Quia magna pars illius constabat, *partim* ex iis quæ falsa & vitiosa, sive ex pravo ratiocinio eorum (Rom. 1. 22.) ex. gr. quod statuerent Deum malum & bonum, & Deos invidios; sive ex prava majorum traditione & consuetudine hausta, qualis ipsorum Theologia civilis & fabulosa: *partim* ex iis quæ materialiter

materialiter

erialiter vera quidem aut vero similia, sed historice ab aliis audita atq; accepta, aut per manus tradita, quæ illi ilico suis assumentis, aut detorsionibus corrumpebant, aut falsæ suæ Theologiæ conclusionibus & conscriptariis male deductis substruebant, veritatem tandem in falsitatem, religionem in cultum dæmonum, sapientiam in stultitiam transformantes. Qualia erant de λόγος & Dei filio, de numine per cruentum sacrificium & quidem humanum placando, de vita beata justorum in cœlo, de pœnis infernalibus malorum. Huc refer reliquias antiquitatū primi mundi: quas collectas vide à Daniele peculiari tract. Reliqua omnia habes apud Eugubinum de perenni Philosophia.

VIII. *Probl.* An à patribus, & recentioribus religionis Christianæ contra infideles Gentiles, Atheos, Libertinos, &c. defensoribus recte probetur veritas nostra ex Theologia & testimoniis Gentilium; & falsitas diversa convincatur? *Resp.* Istis conclusionibus. 1. *Concl.* Quidquid ex principio luminis naturalis cognosci & probari potest, id recte ex testimoniis Gentiliū probari dicendum est, *num* quia eorū consensum ostendunt in communi veritate, quodq; sapientes eorū ab eâ non defecerunt: *num* quia rationes continent, quibus Gentiles convenienter principiis à natura insitis veritatē illā recte collegunt, & sibi aliisq; persuaserunt. Et hic Aristoteles cū suis, qui nihil recipiebat nisi examinatū, tanquā Philosophus, non minor aut deterior, immo longe melior theologus deprehenditur, quā Plato cū suis. 2. *Concl.* Quidquid ex sola revelatione supernaturali habetur, e.g. de Trinitate, de redētionē per Chr. &c. illud directē ex Gentiliū veritate probari nec potest nec debet: quia eâ nō habuerūt, nec tanquā naturali,

E

nec tan

tanquam supernaturali lumine revelatam: saltem
 non formaliter seu sub aliqua ratione formali veri-
 tatis Theologicæ; quidquid sit de materiali aliqua
 ejus possessione, aut saltem aliqua ejus similitudi-
 ne. Sed dicendum tantum ad hominem ex dictis
 eorum, quæ ipsi ignorantes quid dicerent, ex in-
 certo apud alias gentes rumore, aut ex institutis
 majorum per manus traditis acceperant, pari reue-
 rentia scilicet & certitudine, qua mythologias su-
 as, aliaque de rebus divinis commenta, illa decer-
 pta, iisq; pro fidei veritate opposita, ut per τὰ δῖα
 & per οἰκὸς ἄς testes confusi, desinerent tam absur-
 da tam peregrina proclamare fidei nostræ myste-
 ria. Fuerunt ergo à Christianis ex Gentilibus al-
 latae partim res eadem quamvis non rectè aut in-
 regrè propositæ, ut de λογῶν, de virtute seu spiritu
 Dei: partim res aliæ, sed fabulosæ, quæ similes
 videbantur veritati nostræ, quamvis revera adver-
 sæ, ut de Pallade seu sapientia ex cerebro Iovis na-
 tâ: partim historiæ corruptæ de statu hominis ante
 lapsum, de Gigantomachia, de Diluvio, de Noacho
 ejusque filiis Iapheto, & Chamo: partim præce-
 pta cultus ceremonialis, ut de Festis, Sacrificiis,
 Lustrationibus &c. partim simulacra antiquarum
 Prophetiarum, de adventu redemptoris, de expi-
 atione peccatorum per ipsum, & mundi atque ho-
 minis renovatione, &c. Quæ omnia apud Eugu-
 binum, similesque scriptores antiquos ac recentio-
 res quærenda; quales, Origines c. Celsum, Cle-
 mens Alexandrinus, Theodoretus de Curationi-
 bus Chr. affect. &c. 3. Concl. Ad refutationem
 falsæ Theologiæ Gentilium, rectè ex Gentilibus
 allegarunt. Erat enim argumentum inartificiale,
 & non

& non parvi ponderis: quippe ductum ex propriis & domesticis contra ipsos testimoniis & testibus: quo si convinci nollent; non poterant tamen non sentire desperatam suam causam ad contradictiones, & consequenter ad incertam redactam. Præterea continebant sæpè verba ex illis citata, rationes seu argumenta realia, quibus aut directè aut ad hominem errores refutantur. Vbi observandum etiam apertè falsa (sive quod ad dogma, sive quod ad historiam) à Gentilibus scripta meritò ipsis opposita fuisse: *tum* ut una falsitas Gentilium alias eorundem elideret: *tum*, ut per reconventionem & retorsionem ostenderetur iis, quæ absurda in fide nostra ipsis videbantur similia apud ipsos occurrere in se & per se vera absurda: non posse ergo propria defendi aut excusari vel minima specie, nisi solitas in nostra criminationes resorberent. Atque ita perspicuè & distinctè determinatum puto, quomodo legenda & accipienda sint scripta patrum, & recentiorum Eugubini, Mornæi Plessiaci, Mutii Panse, &c. pro Religione Christiana; & quantum veritatis aut validitatis argumentis eorum tribuendum sit: ne præjudicemus mysteriis Fidei, quæ rationem omnem, & omne lumen naturale transcendunt. Conferre poterit, cui vacat, Antonium in summa p. 3. tit. 30. cap. 2. Et Scholasticos ad 1. dist. 3. arr. 2. Themelvar. lib. 1. Rosarii in voce *cognoscere* §. 7. 8. 11. 12. & in proëmialibus ad lib. 1. §. 15. *Confessar.* Ex hæctenus dictis colligimus incaute & periculose à Stencho Eugubino inchoari librum de perenni Philosophia, his verbis: Vt unum est omnium rerum principium, sic unam atque eandem de eo scientiam semper apud omnes fuisse, ratio, multarumque Gentium, ac literarum

„monumenta testantur. Hæc partim nata à pri-
 „mâ hominū origine, per omnes partes devoluta
 „est ad posteros: partim ex multiplici rerum con-
 „sideratione parta, Philosophiæ nomine semper
 „celebris fuit. Hanc quidem scientiam in pri-
 „mis hominibus cumulatam absolutamque fuisse,
 „&c.

IX. *Probl.* Quæ sit genuina Theologiæ partitio:
 & quid de eâ, quæ est in fidem & observantiam, sta-
 tuendum. *Resp.* Pleræque, quæ apud autores oc-
 currunt, rectè explicari possunt. Nec visum est no-
 bis hic ἀκριβολογείν. Quia tamen magis trita est
 nostræ catecheseos (quæ ab aliis in bimembrem con-
 trahitur de fide scil. & bonis operibus) nos eâ præ
 aliis sequemur, melioris doctrinæ causa, & ut ca-
 ptui omnium inserviamus: quamvis forte vix tam
 accuratè explicari possint, ut partes non videantur
 aliquo modo coincidere. Nam fidem generalem
 si quis intelligat (ut intelligi debet), illa non minus
 pro objecto habet doctrinam de bonis operibus
 secunda parte tractatam, quam doctrinam de arti-
 culis seu capitibus credendis, quæ vocant, prima
 parte tractatam. Et observantia, seu facienda, non
 minus in se continet fidem, ejusque actus, quam
 spem, & caritatem.

Hactenus de natura Theologiæ, nunc de ejus
 cura & studio; de quo problema unum atque alte-
 rum subjicimus I. *Probl.* An Theologia in Acade-
 miis sit docenda & discenda non nisi per synopsis,
 h. e. per paucorum locorum communium princi-
 palium positivam & compendiosam explicationē?
Resp. Neg. Quin potius omnes titulos & subtítulos
 à præceptoribus indicatos studiosi, quantum fieri
 potest, familiares sibi reddere tenentur: ut in mi-
 nisterio

nisterio constituti, ubi sæpissime Theologum aut literatum nullum consulere possunt, ad omnia fundamentaliter parati esse possint, & quidquid ex latifundiis Theologiæ ipsis nondum satis perceptum, aut memoriæ impressum, illud ex mutis præceptoribus assidua & alacri diligentia haurire non desinant. Quinam autem, & quot sint tituli & subtituli, quæque circa singulos agitentur aut agitari possint dubia aut problemata, indicabit syllabus problematum partis prioris Theologiæ; ante annos aliquot hic editus. Quæ nuper excepit pars altera ex secunda parte Theologiæ, unâ cū 4. part. select. disp. edita. Inventarium autorem, si qui consulendi aut conferendi, *generalium* indicat nostra Bibliotheca, *specialium* ad quamq; materiam, disputationes nostræ hæctenus editæ, & posthac, si Deus volet, edendæ. Sed excipiat quis contra hoc consilium. 1. *Except.* Videtur Pansophia quædam in Academico curriculo, forte triennii aut quadriennii spatio discenda præscribi. *Resp.* qui absq; scævis oculis & spiritu calumniæ Bibliothecam nostram modo inspexerit, non ignorat, quod sit ibi consiliū nostrum. Neque enim omnia, ab omnibus, & quidem in contracto curriculo Academico simul & semel legi ac disci posse, & quidem plenè ac perfectè nos unquam per somnium opiniati sumus aut speravimus. Ut Horatius suum Poëtam, Autores in libris de præcognitis & studio Theologico suum Theologum formant: ut tantum quisque præstet, quantum potest, & si non possit in primis, saltem proxime in secundis, tertiisq; conetur subsistere. 2. *Exc.* Atqui nimis multi tituli & subtituli, nimis multa problemata congeruntur, quæ nunquã in Academico curriculo figillatim explicari possint, ut magis

videantur ingenia turbari & confundi, quam informari. *Resp.* de multitudine problematum respondimus, in præfatione primæ parti præmissâ. Nos ita publicè locos communes hic explicamus, ut cursum intra sesquiannum, aut biennium ad summum absolvantis. Multos titulos, & subtitulos percurrimus, sed synoptice, seligendo problema-
ta principalia, aut quæ magis difficilia, aut quæ magis hoc vel illo rerum statu urgent. Eadem statu controversiæ dextrè constituto, & remotis calumniis, insuper historice relatis, quæ huc pertinent, quam fieri potest breviter & perspicue determinamus, medullam rationum, & solutionum fontes suggerendo. Abundantem istorum cognitionem, & autorum utriusque partis *autopsian* studiosorum diligentia & lectioni non tantum in Academico, sed etiam in ministerii cursu, relinquimus. In quem finem autores ipsis indicamus, & quidem ad libito delectu: ut sine fluctuatione, aut temporis jactura scire possint quinam in cursu Academico, aut in ministerio ex professo legendi, & quinam si-
ve studio siue datâ occasione, aut necessitate ita postulante consulendi, aut conferendi, aut saltem inspiciendi. Ut autem accurate omnes locos communes imbibant, & perspicuos ac solidos conceptus hinc anferant, hunc ordinem servamus ut quod præsentibus prælectionum cursu plenius, id sequente brevius, & quod vice versa tunc brevius, id nunc plenius explicetur. Præterquam quod prælectionibus ad scripturam per digressiones ad locos communes, controversias, casus, accedentibus publicis disputationibus, & perpetuis collegiis privatis examinantium & disputantium, iisque catecheticis, dogmaticis, practicis, politicis ecclesiasticis, elencticis

eticis

eticis generalibus, & particularibus, scripturariis, defectus omnis plurimum suppleatur. Hæc propter æmulos & calumniatores hujus Academiæ, de rebus nostris hic depromere visum: sic tamen ut nullis Academiis aut scolis Theologicis quidquam præjudicatum, aut à nobis præscriptum velimus.

3. *Exc.* Nimis multi libri, & quidem magnam partem non necessarij, aliquam etiam partem minus utiles in Bibliothecâ tuâ, & disputationibus indicantur. *Resp.* Quo fine, quo usu, auctores à nobis indicentur & quò cum delectu apparatus eorum comparandus, aut quot & qui potissimum legendi, monemus in præfatione ad I. partem disputationum, & in iterata editione Bibliothecæ, & in præfat. ad I. partem Polit. Ecclesiasticæ.

X. *Præbl.* An ad studium Theologicum omnis generis privata collegia, etiâ Philosophico-theologica (quæ continent, Physico-theologica, Metaphysico-theologica, &c) institui, & promitti possint à Professoribus Theologis? *Resp.* Aff. Non tantum ab illis, sed etiam à Philosophis qui volunt & possunt. Duplici ordine ea institui possent, *vel* secundum scripturam, explicatione scil. & examine textuum aut omnium aut aliquorum, quos collegit Alstedius in Triumpho Biblico: *vel* secundum disciplinas, examine scil. selectorum problematum Philosophicorum, quorum usus præ aliis in controversiis Theologicis. Ex syllabis illorum infra exhibendis, æquus lector facile colliget, nihil absurdi à Theologis aut Philosophis committi, si talia collegia, exemplo aliorum, in gratiam studiosorum Theologiæ instituant. Idem dico de collegiis Rhetorico aut Philologico-scripturariis, & Theologicis, quæ *vel* à Theologis, *vel* à Professoribus linguarum, *vel*

vel ab utrisque utiliter institui posse, nemo, ut opinor, negaverit. Aliud est si Theologi absoluta collegia Iuridica, Medica, Mathematica, reliquaq; Philosophica, item variarum Linguarum, & Historica instituant, publicèque & ex professo scientias illas doceant, etiam libros in Iure, Medicina, Mathesi, &c. edant. Nos quamvis hæc omnia non promiserimus, aut tentaverimus, sed studiosos ad magistros tum vivos tum mortos istarum scientiarum ablegaverimus, neminem tamen culpæ intendimus, qui omnia illa aut aliqua juxta cum spartâ suâ Theologica ritè curaverit. Indicamus nunc authores de hoc loco communi, *Scholasticos in præmialibus ad Lombardum, & in Thomæ p. I. q. I. Ex recentioribus imprimis consulendus Maximil. Sandeus in tractat. de Theologiâ variâ: cui non sine fructu jungi possunt, Eiusdem tractat. de Theologiâ Symbolicâ & de Theologiâ Mysticâ. Conferre potest cui vacat I. part. select. disput. tit. de Theologia Scholastica & de Patribus; & 3. part. tit. de Theologia Practica, & Asceticæ nostræ cap. I. & Problemata de Scriptura, & Disput. de modis cognoscendi Deum. Ex nostris indico tract. Francisci Iunii de Theologia, Alstedii *Præcognita Theologica.* Ioh. Oweni tract. de natura, ortu, &c. Theologiæ, Anno 1661, Cum quibus conferri possunt, *Authores de Studio Theologico, in Bibliotheca nostra indicati.**

D I S.



DISPUTATIO THEOLOGICA,
CONTINENS
INTRODVCTIONEM
AD
PHILOLOGIAM
SACRAM.

Resp. JOHANNES TSERE APATZA Transylv.
23. & 27. Martii M DC L.

Literaturæ seu Philologiæ tum Orientalis tum Latinae
& Græcæ studium Theologo necessarium, nemo infir-
mioribus, qui solidam Scripturæ interpretationem &
eruditionem Theologicam merito suo æstimare didicerit. Vi-
derunt id & passim monitis & exemplis suis inculcarunt Theo-
logi nostri jam inde à prima reformatione. Insuper esset o-
mnium testimonia huc advocare. Ut compendium faciam, indi-
co Orationem Amama de Barbarie, quam Antibarbaro Bi-
blico præmisit. De Orientali supervacaneum est vel verbum
facere. De Latina & Græca, quam forte frigidius examiniunt
nonnulli, rationibus, exemplis, & testimoniis id ostendit A.
Schulsetus in Oratione initiali professionis Theologicæ Anno
1618. Heidelbergæ habita de conjungenda Philologia
cum Theologia; quæ Anno 1620. cum ipsius delitiis
F. Euange-

Euangelicis Pragensibus Hanoviae in 3. edita. Ita ut nihil novi aut absurdi egisse mihi videar, quod antehac in Bibliotheca nostra de exercitiis & collegiis Philologico-theologicis, quid monuerim. Ut autem juniores scopum & mentem nostram uberius percipiant, visum est hanc Philologiae sacrae Introductionem ipsis impartiri; praesuppositus, non repetitis, ut quae in Disput. quibusdam de Scriptura, & in Problematibus de eadem antehac communicavimus.

§. I. **P**hilologia istas partes integrantes complectitur, Grammaticam scilicet, Lexicam (prout nonnulli hanc à Grammatica distinctam volunt) Rhetoricam, Poeticam, Historicam, Criticam. Estque ea duplex (sicuti omnis pædia seu sapientia) sacra scil. & prophana. Ista non est hujus fori. Illa ex modo tractandi duplex est: vel enim immediate versatur circa textum Scripturae, ejusque intelligentiam & explicationem: vel in tractatione Theologiae tum didacticae tum elencticae seu polemicæ. Priorem distinctionis causa vocabimus *textualem*, & strictè seu eminenter *sacram*: posteriorem *Theologicam* partim *didacticam*, partim *elencticam*. Ut à posteriori incipiamus, *Didactica* & *Elenctica* occurrit in scriptis locorum communium & Elencticis: ubi non tantum phrasia sacra, sed & quaecunque alia à Theologis antiquis & novis, patribus scil. Græcis, Latinis, item Scholasticis & Theologis hodiernis nec non extraneis, Iudaicis, Saracenis, usurpata Philologicè consideratur. Sed dicamus aliquid de utraque seorsim. Est ergo *Didactica* Grammatica, Lexica, Rhetorica, Historica, Critica: ex quibus I. Grammatica, Lexica, Rhetorica, per totum systema Theologiae apud locor. comm. scriptores obtinet: eaque

eaque versatur circa voces aut simplices aut complexas. *Ista* in locis communibus subinde occurrit, ex. gr. in explicatione phrasum & prædicationum, de attributis & personis divinis, de persona Christi, de Satisfactione, Morte Christi, Iustificatione, Sacramentis &c. *Illas* in locis communibus, potissimum dominatur, & ad quatuor istorum explicationem revocari solet, Etymologiæ scilicet, homonymiæ, synonymiæ, & *συνυγίας* seu conjugationis, idque ordinario in tribus linguis cardinalibus. Quibus nonnulli subinde addunt linguas suas vernaculas aut Arabicam & Chaldaeo-Syram quin imò subinde Æthiopicam tanquam Hebraicæ lingue filias aut dialectos. Videantur recentiores thesauri & locorum communium scriptores. Ad phrasios Latinae considerationem referenda, Philolog. patristica patrum latinorum, & explicatio terminorum scholasticorum: quæ posterior compendiose & commode haberi potest ex Dictionario theologico Ioh. Altenstaig & Distinctionibus Castanei. Ad phrasios Græcæ explicationem refertur consideratio phraseologiæ patrum Græcorum, etiam Gentilium. Sed Philologia hæc patristica tum Græca tum Latina, peculiarem collectoris alicujus diligentiam adhuc requirit, qui vel secundum ordinem locorum communium, vel secundum ordinem alphabeticum partim ex didacticis Theologis imprimis polemisticis, partim ex omnibus scholiis, notis, & commentariis ad patres, canones & acta Conciliorum, historicos ecclesiasticos à collaboratoribus aliquot supeditata Philologica ad limam revocet, & in formam Lexici theologici redigar: Quod seorsim, aut mixtim una cum toto Lexici universalis Theologici corpore edi posset. Complectitur enim tale

lexicon istas quinque partes: explicationē scil. terminorum seu phraseologiae theologiae 1. *Scripturariae*, ex scriptura ut & ex recentioribus theologis orthodoxis; quorum Theologia est scripturaria. 2. *Patristicae*, ex Patribus & Conciliis Graecis & Latinis. 3. *Scholasticae*, ex Doctoribus Scholasticis antiquis, & recentioribus in Papatu, qui post ortam reformationem in Thomam commentationes & disputationes ediderunt. 4. *Canonisticae*, ex Canonistis antiquis & recentioribus. 5. *Extraneae*, ex pseudo-theologis Gentilibus, Rabbino-Thalmudicis, Muhammedicis.

Primam partem, quod ad tres linguas cardinales, aliqui locorum communium scriptores satis egregiè excoluisse videntur. Inter alios maxime commendandus est praceptor noster Fr. Gomarus, qui in Philologia sacra & profana versatissimum atque accuratissimū se ostendit. Videantur modo *Theses ipsius & loci communes*, de Praedestinatione, Iustificatione, Fide, morte Christi, Sacramentis, Baptismo, Cæna, Antichristo &c.; & si quis patristica desideret, diatribe ipsius de *aitotheo*. Huic eximio Philologo non sine fructu junxeris ea quæ *Onomastico suo* inspargit Matthias Martinus.

Secunda pars aliquem adhuc instructorem requirit: neque enim sufficiunt, quæ orthodoxi theologi carptim in locis communibus, & scriptis eulenticis contra Pontificios subinde delibant; multo minus ea quæ Pontificii venditant: quod in plerisque apparatus eruditionis, in omnibus fidem desideremus. Spem faciunt aliqui, à viro quodam eruditissimo & laboriosissimo parari repertorium ad *Patres Graecos*, & *Onomasticum* ex *iisdem*,

dem,

dem, quod una supplementum esset Lexicorum
Græcorum hæctenus editorum.

Tertia, à Themefvar in Rosario, Altenstaig in
Dictionario, Armando de bello visu in explicat.
terminorum, Castaneo in Distinctionibus ad eam
perfectionem adducta est, ut facile sit inventis a-
liquid addere.

Quarta, nondum peculiari dictionario Iuris Ca-
nonici (quod quidem jamdiu quærenti mihi videre
contigit) ita explicata est ut curiosis satisfieri pos-
set. Plurima quidem occurrunt apud Albericum
de Rosate in Dictionario Iuris, & multa in lexi-
con suum inde transtulit Iustus Calvinus Wettera-
nus: sed non pauca illinc exulant. Huic ergo jun-
gendi erunt ex recentioribus Canonistis: Zypæus,
Augustinus Barbosa, Lopez de Salzedo, &c. Qui-
bus addenda Glossarium Græco-barbarum Meur-
sii, & glossaria Latino-barbara Freheri, Iohannis
Lydii, quod editum cum operibus N. Clemangis;
imprimis Gerardi Iohannis Vossii in opere Gram-
matico; nec non commentatores in intermedia
ætatis, & sequiorum sæculorum scriptores, qua-
les e. gr. Gretserus & Fr. Junius in Georg. Codinũ,
Curopalater, Sirmundus in capitula Caroli Calvi,
Iuretus in Epistolas Ivonis, Formulæ Marculphi
cum notis, Arnoldi Buchelii notæ ad historias Bekæ
& Heda, ubi alii autores frequenter citantur; bre-
viter notæ additæ editionibus recentioribus eccle-
siasticorum scriptorum qui sequioribus sæculis epi-
stolas, ritualia, liturgica, historias ediderunt: quos
ex Bellarmino de scriptoribus Ecclesiasticis co-
gnosce, & notarum scriptores ex Possevini appa-
ratu sacro. Inter omnes hic consulendus Thesau-
rus rituum Gavanti.

Quinta, quod ad Theologiam *Gentilium* græcam & latinam ab utriusque literaturæ Lexicographis, Criticis ac Philologis (quorum præcipuos infra & in Bibliotheca nostra indicamus) in luce posita videtur. An antiquorum Chaldæorum, Syrorum, Arabum, Iudæorum, Persarum, Æthiopum, Ægyptiorum, extra utriusque linguæ scriptores, nova lux ex incompertis adhuc monumentis orientalis expectari possit, dies docebit. Saltem multa promittit Kircherus in Copto prodromo quem videat, cui vacat. *Hæc ita scribebam Anno 1650. Postea Anno 1654. nactus Kircheri obeliscum Pamphilius, & Oedipum Ægyptiorum in tres tomos distributum, vide plurima istic collecta ad antiquæ Gentilium Theologiæ notitiam pertinentia.*

Philologia Theol. Rabbinico-Thalmudica à lexiceis Schindleri & Buxtorfii, insuper hujus Synag. Iudaica, adhæc abbreviaturis, insigniter illustrata est. Quibus Rabbinis recentioribus Christianorum, addi possunt Rittangelius in notis ad Ietzira; Schichardus in Tarich & Bechinat happeruschin & de jure regio Hebræorum; Constantinus Cæsar seu l'Empereur ad Middoth, & Bava Bathra, & ad Abarbanelem in Ies. 53. & Iachiadem in Danielelem, & in commentariis ad Grammaticam R. Mosis Kimchi. Omnibus istis opusculis indices locorum scripturæ, qui illustrantur, subjecti sunt. Coccejus ad Sanhedrin & Maccot; R. Sheringhamius ad Iona; Hacspan ad Nizzachon; Gilbertus Gaulmin ad vitam Mosis & ad Pfellum de Dæmonibus; Seldenus de Iure Naturali &c. & de Successionibus, & de DIis Syris, & de uxore Hebræa, & de anno Hebræorum; Broughtonus ad Danielelem, & variis in Opusculis, sed Anglicè scriptis; Munsterus
ad

ad Gorionidem, & innotis ad Matthæum Hebraicum.

Philologia theologica Saracenicæ nondum inter Europeos adminiculâ necessaria sortita est. Quid huc usque à nonnullis præstitum, indicamus in 2. part. sel. disp. tit. de Muhammedismo. Huc etiam conferet Lexicon Arabicum Cl. Golii.

II. *Historica* apud locorum commun. scriptores locum habet, in observatione ac notatione antiquitatum quarundam 1. *Græcarum* circa voces ecclesiæ, episcopi, *χερροτονας*, *ἀδς*, anathematis, synodi, &c. 2. *Latinarum*, circa voces, personæ, satisfactionis, adoptionis, sacramenti, sacri, dedicationis, consecrationis, festi, templi, aræ, & altaris. 3. *Judaicarum*, circa voces presbyteri, presbyterii, *Cheerothestas*, baptismi.

III. *Critica* est vel Scripturaria, vel Patristica. *Prior* hicita locum non habet, nisi in capite de principiis Christianorum dogmatum; ubi de textuum originalium authentia, integritate, variis lectionibus, translationibus Græcis, Samaritanis, Latinis, Orientalibus, vulgaribus. Hic imprimis indicanda Lud. Capelli *Critica sacra*, eique opposita scripta Joh. Buxdorsii fil. Arnoldi Bootii; quibus associari possunt Hottingeri *Exercitationes aduersus Morinum*; imprimis & Joh. Oweni tract. Anglicus de divinâ origine scripturæ, ubi puritas & integritas textus originalis vindicatur, contra prolegomena Bibliis polyglottis Londinensibus præmissa. De eâdem questione ab Is. Vossio in *dissertationibus de 70. Interpretibus* &c. An. 1661. ab illo hac in parte dissentientibus discrepatum est: de quo infra in appendice. Cum de patribus agitur, genuini à putatis, & illorū genuina scripta à nothis aut dubiis discernuntur.

nuntur.

nuntur, editiones eorundem genuinæ & fidæ, à depravatis. Specimē hujus Criticæ dederunt Oxonienses editione Cypriani de Unitate ecclesiæ, An. 1632. & in variis lectionibus ad Gregorium Magnum. Ad Philologiam hanc didacticam seu locorum communium addiscendam peculiaria & distincta collegia non ita requiruntur: siquidem in prælectionibus & collegiis locorum communium, examinari & explicari debent, saltem quod ad terminos scripturarios, & recentium theologorum orthodoxorum. Quod tyronibus plane necessarium. Proficientibus vero in ejusmodi collegiis adjicienda per singulos locos cognitio præcipuorum terminorum scholasticorum, etiam carptim ac data occasione terminorum patristicorum & canonisticorum, si qui vulgo in exercitiis Academicis & auctoribus communiter legi solitis memorantur.

§. 2. *Elenctica* est, quæ controversias Grammaticas, Rhetoricas, Historicas, Criticas circa Philologiam sacram incidentes disputando determinat. Problemata ejusmodi ex locis communibus & elencticis scriptoribus colligi, & studiosi circa ea seorsim, aut conjunctim cū reliquis dogmaticis, examinando & disputando exerceri possunt. Paucula aliqua ex multis speciminis causa nunc proponimus. In loco de scripturâ occurrunt nonnulla ad Grammaticam, Rhetoricam, Criticam &c. reducenda; e. gr. de autoritate punctorum, de qua Buxdorsius in Tiberiade, & Buxdorsius fil. peculiari libro c. Capellū. Pro eadem sententia stant Glassius lib. 1. Philolog. sacræ pag. 37. cit. & posteos Ioh. Owenus in tract. de naturâ, ortu &c. veræ theologiæ lib. 5. cap. 12. Contrariam tenent ex nostris Drusus, Amama, Ludovicus Capellus &c. Ex Lutheranis

theranis

theranis Nicol. Oelschlegelius peculiari libello, Geræ ad Elystrum anno 1414.; & communiter Pontificii ut Gordonus, Bellarminus &c.; ex Rabbi- nis Elias Levita. Post omnes Prideauxius lect. 12. operose sententiam negantem probavit: ubi autores utriusque partis indicat, Problema de au- toritate $\pi\alpha'$ *Keri* Masoretici eodem referendum. Hæc aliaq; complurima vide in 1. part. Select. Di- sput. tit. de autoritate Scripturæ, & de insolubi- libus, & in Problematis de Scriptura: ut chartæ & tempori hic parcamus. In loco de Deo, ad gram- maticam pertinet probl. de lectione nominis Ieho- va. Pro aff. stat Gomarus disp. peculiari cum ope- ribus ipsius edita, & Crinesius in discursu de con- fusione linguarum pag. 118. & Dorschæus Theo- log. Argentinensis tract. peculiari. Pro Neg. Dru- sius in Tetragrammato, Amama in Antibarbaro bi- blico; Buxdorsius fil. in dissertationibus Philologi- co-theologicis. Multa alia problemata philologi- ca de hoc nomine volens hic prætereo. In eodem loco disquiritur de plurali *Elohim*, an plures perso- nas significet, Aff. Zanchius, Polanus, Ioh. Acroni- us, Altingius, &c. Neg. Calvinus, Drusius, Go- marus. In loco de Creatione, problema ad lexi- cam reducendum esto, an vox *creandi* latinis, græ- cis, hebræis notet productionem ex nihilo. Vide Gomari disput. de Creatione. In loco de Ange- lis, problema ad Philologiam historicam & criti- cam referendum est, de libris Dionysii Ariopagi- tæ de hierarchia cœlesti. Vide 1. part. Selectar. disput. tit. de hierarchia cœlesti, & angelis tutela- ribus. In loco de Prædestinatione, An vox *αὐδορίας* & Prædestinationis tantū de electione, &

G

non

non de reprobatione usurpanda sit. An vox mundi de hominibus usurpata, notet omnes & singulos. In loco de persona Christi, an vox Iesus sit origine Hebraica, & eadem cum voce Iehoschuah. An vox *αδης σχολ* necessario notet locum damnatorum. Vide 2. part. Select. disp. Parkerū de descensu ad Inferos. In loco de Iustificatione, An vox *Iustificandi* gr. aut hebr. significet iustitiā inhærente aliquem donare, & vox *imputandi* gr. aut hebr. significet gratiose æstimare. Vide eruditiss. Gomari disp. de Iustificatione. In loco de Sacramentis, Quæ sit origo vocis Sacramenti. Vide Gomari disp. de Sacramentis. In loco de Idololatria, An *Idolon* significet (ex vi vocis) sive in sacris, sive alibi, imaginem rei fictæ, seu non existentis. Vide Raynoldum de Idololatria Ecclesiæ Romanæ. In locis de secundo, tertio, quarto præcepto, Quid significant voces *Sabbathi, Festi, Templi, Ceremonia, Consecrationis, &c.* Vide 3. part. Select. disput. tit. de Benedictionibus &c. tit. de Sabbatho & Festis; & Polit. Eccles. part. 1. lib. 4. In loco de Ministerio, Quid significant voces *Episcopi & Presbyteri.* Vide part. 2. Polit. Eccles. lib. 4. In loco de bonis Ecclesiasticis, Quid *Primitiæ, decime, &c.* Vide autores indicatos in 1. part. Polit. eccl. lib. 4.

§. 3. *Philologia sacra* strictè dicta ex modo & methodo tractandi distinguitur in *Systematicam*, seu *Synzagmaticam*, & *Textualem*. *Systematica* rursus duplex est. *Vna*, quæ ad titulos & capita disciplinarū Philologicarum (Grammaticæ, Rhetoricæ, Poëticæ, Historicæ, Criticæ,) præcipua aut aliqua annotat, quæ in Scripturis observanda occurrunt. Sic ex. gr. rariores aut figuratæ constructiones aliquæ ex N. T. annotantur in syntaxi Græcâ Posselii, & in
syntaxi

syntaxi Sylburgii (quæ scilicet cum Grammat. ipsius Græcâ Rami methodo constructâ, edita est); & quæ hebraïsmum sapiunt, ad syntaxim hebraicam Buxdorfii. Quod ad Rhetoricam, illustriores ejus tropos & figuras, ex Scripturis annotata vide ad Rhetoricam Alstedii, quam ab Oratoria distinctam in 8. edidit. *Lexicographiam* vocum & phrasion dabit thesaurus Pagnini cum additionibus & supplementis Merceri, Cevallerii, Bertrami. Cum quo conferri poterit Epitome Buxdorfii, Lexicon Schindleri, & Philippi de Aquino hebraice scriptum. N. T. phrasas nonnullas annotatas videbis in Hen. Stephani Thesauro linguæ græcæ. Plures explicant Erasmus, Beza, Camerarius, Victor. Strigelius, Heinsius, Grotius, Priceus, in notis suis ad libros aliquot N. Test. *Altera*, quæ seorsim ad titulos secundum ordinem disciplinarum Philologicarum, aut alium aliquem arbitrarium, aut alphabeticum dispositos, ex scripturis Philologica sacra congerit. Huc pertinent Alstedii præcognita theologica: quæ tyronibus in hac palestra, famem excitare poterunt. Sed quomodo ea sedari debeat, ostendunt Glassii *Philologia sacra*; Amamae *Antibarbarus Biblicus*, & qui nuperrime prodiit *Thesaurus Philologicus Hottingeri*. Huc refer scriptores illos, qui eclogis ac miscellaneis sacris loca scripturæ Philologicè illustrarunt, quales Drusus in libris animadversionum, observationum, quaestionum. Petrus in variis lectionibus, præsertim lib. I. Arnoldus Bootius in animadvers. sacris; Martinus Anton. Delrio de difficilioribus scripturæ locis; Bisciola in digressionibus; Ludovicus de Dieu in loca V. T. Bonaventura Cornelius Bertramus in lucubrationibus Francothaliensibus. Daniel Fes-

selius in adversariis sacris, Camero in Myrothecio, Lud. Capellus in Specilegio. Quos omnes antecesserunt A. Nebriffensis & Angelus Caninius. Iis adjungantur theologi, qui data occasione philologica tractarunt, ut Tarnov. in Exercitation. Biblicis, Camero in Myrothecio, Spanhemius in dubiis evangelicis. Et qui miscellaneis, eclogis, aut observationibus sacris, philologica scripturaria inspargunt, ut Nic. Fullerus in miscellaneis sacris, Fileascus in libris selectorum, Picherellus in opusculis, Buxdorfus fil. in Philologico-theologicis, Bisciola in 12. libris observationum sacrarum. Adhæc illi, qui historicam & chronologiam ecclesiasticam ex professo illustrent; quales Baronius, præsertim in prolegomenis, cum Casaubono, Montacutio, Iacobo Capello; quibus adjungi potest, Scaliger in Eusebianis & de Emendatione temporum. Præterea, qui Rabbino-Judaicam theologiam & antiquitates, aut explicant aut examinant, ut Hugo Broughtonus in variis opusculis latine aut anglice editis; Hacspan in notis ad Nizzachon, aliique alibi indicati. Inter quos imprimis numerari debent editores tract. Thalmudicorum, quales Coccejus, l'Empereur, Sheringhamius. Insuper qui in notis & commentariis suis ad concilia & patres Philologiam sacram attingunt, quales in Bibliotheca indicamus. Adde Bochartum in Geographia sacra, & in tract. de animalibus scripturæ; Amama in censura vulgaræ versionis; Bezam in censura versionis Castellionis; Turretinū & Tronchinū in defensione versionis Gallicæ c. Cottoni Genevam plagiariam; Ioh. Piscatoris defensionem versionis suæ Germanicæ, contra Petrum Piscatorem Acad. Salanæ Professore; Erasmi Apologias versionis suæ contra Parisienses,

Parisienses,

rifienses, Stunicã &c. Denique carptim inspici possunt Philologi illi, qui ex professo literaturâ, & antiquitatibus Græcis, ac Latinis occupati, subinde *ἐκ παρόδου* ex sacris quædam delibant. Vide illos, quos titulo Thesauri critici edidit Gruterus; ubi indice peculiari loca scripturæ ibidē illustrata exhibentur. Extra illū thesaurum sunt complures alii, Barthius, Pignorius, l. à Wauweren, Bisciola in subcesivis, Roah in singularibus, Ioh. Lud. de la Cerda in adversariis, Lipsius de ctuce, Ioh. Meursius de Areopago, Petrus in variis lectionibus, Chiffletius de linteis sepulcralibus Christi, Vossius in libris de Idololatria; aliq; complures, quos una cū commentatoribus & scholiastis ad antiquos scriptores græcos & latinos hic nominare nimis operosū, & alienum foret. Si quibus nomina ignota sunt, plurima discere poterunt ex Vossio in Rhetorica, & libris de Idololatria, nec non ex Rosini & Dempsteri antiquit. Rom. & Barthii adversariis. Et ut secundū singulas partes specialius indicium faciā, ad Philolog. Grammaticā pertinent, Thesaur. grammat. Buxdorffii, ex quo ceu fonte perenni, multi postea rivulos suos deduxerunt; cui adjungi potest ab eo, cui vacat, grammatica Mosis Kimchi cum not. l'Empereur, & Drusii opuscul. grammat. Pasoris tractat. de accentibus N. T. de dialectis &c. qui cum lexico & manuali ipsius editi. Ejusdem Etymologiæ propriorum nominum: quas etiam exhibet Ballester in Onomatographia sacra. Drusius ad voces hebr. N. T. Gualtperius, ad voces quædam scripturæ, Angel. Caninius ad voces N. Test. *Lexicam* absolvunt, *Lexicon hebraic.* Pagnini cum supplementis Merceri, Cevallerii, Bertrami (cum quo conferri possunt, *Lexica* Schindleri, Buxdorffii & Philippi de Aquino)

Aquino) & gr. N. T. Pasoris. Ad *Poeticam* pertinet Gomari lyra Davidis, & quæ contra eam excepit Lud. Capellus. Aliquid etiam de Poëtica scripturæ differitur à Mendoza in quæstionibus, & à Nierenbergio, de origine script. Ad *Historicam*, refer Antiquitates Ariæ Montani, & potiore partem eorum, quæ tractantur à scriptoribus Reipubl. Hebræorum, Sigonio scilicet Bertramo cum notis l'Empereur, Cuneo, Menochio. Accedant varii tractatus Seldeni & Schichardi supra indicatis; Bocharti Geographia sacra; Eclogæ Chronologica Petiti, aliique Chronologici in Bibliotheca indicati. Ad *Criticam*, refer Buxdorsii Tiberiadem; & quæ Alstedius in præcognitis delibat de characteribus & stylo scripturæ; imprimis eruditam præfationem Hen. Stephani ad edit. N. T. gr in 16. anno 1580.; & Seb. Pfhochenii diatriben de puritate linguæ N. T.; Joh. à Wouveren syntag. de versionibus Bibliorum. Glassium lib. 1. Philolog. sacrae tract. 2. Prolegomena Heinsii ad Exercitationes sacras in Nonnum; Salmasii & Math. Coterii tractatus de lingua Hellenistica. Huc referenda, quæ notat Buxdorsius in Biblioth. Rabbin. de variis editionibus Bibliorum typographicis, & quæ de Bibliis Parisiensibus nuper editis Hottingerus peculiari dissertatione; imprimis quæ Idem in Thesauro Philolog. lib. 1. cap. 3. sect. 4. de antiquis Bibliorum hebraicorum exemplaribus: ubi & alii autores citantur. Non pauca sparsim attingit Nierenbergius in libris de Origine scripturæ, sed cum iudicio legendis: quod aliqua curiosa & incerta admisceantur. Nec prætereunda, quæ erudite congeffit Hottingerus lib. 1. cap. 2. per totum.

§. 4. Philologiam textualem contextui sacro, & ordini

dini

dini librorum aut capitum adstrictam habent notæ
 Philologicæ perpetuæ in omnes, aut aliquos, aut
 aliquem librum scripturæ: quales Munsteri, Vatabli,
 Piscatoris, Grotii in totum V. & N. Testam.
 Merceri, Drusii, Matth. Martinii in varios libros,
 Eugubini in Pentateuchum octaplum, Masii in Io-
 suam, August. Iustinian. in Psalterium, Simeonis
 Muis in Psalmos, Tremellii in Hoseam (quem olim,
 si bene memini, apud amicum vidi); Piscatoris in
 Pentateuchum & Prophetas priores, opere distin-
 cto à superiori; Broughtoni in Iobum, & Danielelem,
 quorum posterior ex Anglico in Latinum solum-
 modo translatus exstat; Christoph. Cartwrighti in
 Genesim & Exodum; l'Empereur in Iachiadæ para-
 phrasin Danielis. Ainsworthi in Pentateuchum &
 Psalmos, sed Anglice. Quibus omnibus præluxerunt
 Peruschin. i. commentarii Philologici Rab-
 binorum, quorum præstantiores cum Bibliis He-
 braicis & Chaldaicis Basileensibus in fol. à Buxtor-
 fio editi sunt: circa quos crism aliquam exercet
 Schichardus in *Bechmat happeruschim*. Post quem de
 usu comment. Rabbinicorum ex professo egerunt
 Hacspan ad Nizzachon & Hottingerus lib 2. The-
 sauri Philolog. cap. 2 sect. 7. Cum commentato-
 ribus Rabbinicis Basileæ editis conjungi potest. D.
 Kimchi in Psalmos; quem hac occasione indico La-
 tine translatum à Fagio, eundemque una cum R.
 Aben Esra & R. Sel-Iarchi in quinq; priores Pro-
 phetas minores à Mercero: si quis forte aliis præsi-
 diis destitutus in lectione istorum tutissimum tyro-
 cinium ponere velit. Inservient alioquin huic par-
 ti Philologiæ Lexicon Rabbinicum Buxdorfii, ejus-
 demque libellus de abbreviaturis, & Adagia Dru-
 sii, Et explicatio vocum græcarum aliarumq; Eu-
 ropearum

ropearum

ropæarum autore David Cohen de Lara. Sed pleraque habet in Lexico Rabbinico Buxdorffii. Voces Gallicæ in Sel. Iarchi, & Hispanicæ in David Kimchi, & Arabicæ in *Aben Ezra* occurrentes apud Lexicographos istarum linguarum quæri possunt. Legi nuper citatam grammaticam Rabbinicam *Cl. Hacspan*: sed hæctenus eam videre non potui. Philologiam *N. T.* reperies in notis *Valleæ*, *Erasmi*, *Camerarii*, *Bezæ*, qui postremus instar *Homeri* nobis esse posset. Post illum tamen spicilegia dederunt in omnes aut plerosque libros *N. T.* *Drusius*, *Heinsius*, *Grotius*: in aliquos *Casaubonus* in Anglia seorsim cum pauculis notis *Scaligeri* recusus in 8.; *Sculterus* in *Euangelistas* & *epistolas*, *Nuperrimè* *Iohannes Priceus* *Anglus*, in *Matthæum*, *Lucam*, *epistolas ad Timotheum*, *Philem. Iacobi*, *Iohannis*, *Iudæ*, *Psalms*; *Joh. Gerardus* in *epistolas quasdam* & *Apocalypsin*. Proxime ad hos accedunt, qui commentariis suis realibus Philologica præ aliis aspergunt, quorum catalogum hic non teximus. Videri potest catalogus interpretum scripturæ in *Bibliotheca Oxoniensi*, ante annos aliquot editus in 4. Et selecti ex tanta multitudine, quos indicamus in nostra *Bibliotheca*. Post illos locum habeant qui notas ad libros quosdam *Apocryphos* græcos scripsere, *Camerarius* ad *Iesum Syrach*; *Drusius* ad eundem, &c. *Munsterus* & *Drusius* ad *Tobiam*, ille ad *Hebraicum*, iste ad *Græcum*; *Drusius* ad *librum 1. Machab.* & ad *Syracidem*. Accedant illi, qui ex professo ad translationem aliquam notas suas accomodarunt, ut *I. Flaminus Nobilius* ad versionem græc. totius *V. T.*; *Drusius* ad *fragmenta interpretum Græcorum*; *Maffius* ad translationem gr. *Iosua*. Huic Philologiæ
im.

Imprimis inservient Concordantię gr. *V. T.* II. Fa-
 gius ad paraphrasin *Chaldaicam* pentateuchi; & Fr.
 Taylerus in notis ad Targum Hierosolymitanum.
 Imprimis hic instar omnium notarum erit Lexicon
 Targumicum, Rabbinicū, Thalmudicum Buxdor-
 fii. Forte hic juvabit theologos nostros spicilegi-
 um quæstionum Syro-hebraicarum autore Iacobo
 Wellero, quod citat Ioh. Ernestus in Grammatica
 hebr. Schichardi, quam Chald. Syr. Arab. Æthi-
 op. auctam dedit. Inquirant quibus lib. cit. copia
 est: ego exemplar ejus nondum nancisci potui. III.
 Ad Syriacam versionem N. Test. notæ Ludov. de
 Dieu, qui in plerisq; etiam confert Arabicam; no-
 tæ Tremellii ad Latinam suam ex Syriaco versio-
 nem; Peacock ad epistolas Petri 2, Iohannis 2. &
 3. Iudæ. IV. Franc. Junii ad suam ex Arabico
 translationem Actorum & 1. epist. ad Corinthi-
 os: V. Munsteri ad transl. hebraicam Matthæi.
 Conferri hic potest Hutteri versio hebraica totius
 N. T. VI. Ad textum Samaritanum Pentateuchi
 Morinus exercitationes dedit. Sed quid de osten-
 tata illa editione tanquam authentica sentiendum,
 abunde docuit Morinum eruditiss. Hottingerus in
 suis Exercitationibus Anti-Morianis. Interim
 paraphrasi Pentateuchi Samaritana cum Bibliis
 Londinensibus editâ uti frui poterunt Philologiae
 sacræ & Orientalium linguarum studiosi. VII.
 Nicolai Taciti Zegeri ad versionem vulgatam N.
 Testam. cui titulum dedit, *Epanorthotæ*; Theo-
 logorum Lovaniensium ad novam seu emenda-
 tam editionem vulgatam; Franciscus Lucæ ad
 eandem in variis Lectionibus. Ad antiquam,
 jam olim notas suas accommodarat Iohannes
 Benedictus, & præsertim quidem Isidorus Clari-
 us; etie

H

us; etie

Clarius; etiam Cajetanus ad librum Psalmorum. Disceptatores super eadem versione infra citabimus. VIII. Video Cornelium à Lapide in commentariis ad Evangelistas subinde confetre translationem Persicam, Armenicam, Ægypticam seu Copticam latine ipsi redditam & indicatam ab iis qui in collegio Romano propagationis fidei linguarum istarum periti sunt. Sed de illis translationibus non ita laborandum video, 1. Quia nondum editæ sunt. 2. Quia de earum origine, antiquitate, & autoritate apud orientales nihil adhuc constare potuit. 3. Quia imprimis, de earum fide, ἀκριβεία, & eruditione, vix magni quid polliceri nobis possimus; cum non immerito suspicari liceat eas Romæ edolatas aut saltem ita interpolatas, ut vulgatæ versioni latinæ subserviant. 4. Quia, dato ex oriente allatas, & ab Ecclesiis aut Clericis istarum linguarum ibidem usurpatas, vix tamen credibile V. T. ex Hebræo expressum; cum videamus Arabicas & Æthiopicas immo & Syras quasdam, quarum linguæ tam affines sunt hebraicæ immo eius partim propagines partim dialecti, ex græco interprete ductas 5. Quia linguæ illæ non sunt filia aut nepes, aut propagines, aut dialecti, ne quidem affines, aut cognatæ (si propriè loqui velimus) linguæ Hebrææ V. aut Græcæ N. T. De lingua Persica tanquam dialecto aut propagine hebrææ hæctenus populari errore erratum fuit, à quo errore eruditi aliquot immunes non fuerunt. Angelo Rocca aliisque causam erroris puto fuisse, quod forte viderint aut audiverint, Arabicis vocabulis aliquot, imprimis caractere Arabico (qui cum Mahumetismo in Persiam introductus antiquum Persicum plane abolevit, ut nec vola nec vestigium ejus nunc superesse

peresse

peresse videatur) recentiores Persas uti. Sed longe aliter sentire nos docent, tum paucula illa Persica quæ in scriptura occurrunt, à nullis Rabbini Persicæ linguæ ignaris Arabismi tamen peritissimis hætenus eruta: tum imprimis peregrinationes Europæorū & commercia hodierna in Persico & Mogulico imperio, & libri MS. hac occasione inde huc apportati, denique Vita Christi & Petri Persice ac Latine à Ludov. de Dieu cum duobus capitibus paraphraseos Persicæ Jac. Tawusi in Genesin, & proverbia Persica à Lævino Wernero, & exacta ejusdem linguæ grammatica à Gravio typis edita. Quæ si quis leviter modo inspexerit, mox errorem deprehendet. De linguâ Turcica, quæ eodem charactere scribitur, & vocabula aliquot Arabica & Persica admixta habet, atque adeo ab Arabica distincta plane lingua est, idem judicandum evincit inspectio librorum MS. qui nunc in manus Europæorum perveniunt, & frequentia eū Turcis commercia, & vel unica Grammatica Turcica (alios enim libros excusos in Occidente exstare non arbitror) ab Andrea du Ryer edita. Sed nescio an ullæ partes Scripturæ in linguam illam antehac traductæ fuerint. Fertur Clariss. Levinus Wernerus nuper nomine Ill. & Præpot. Ordinum Belgii ad Portam Othomannicam residens, Hebrææ, Arabicæ, Persicæ, Turcicæ linguarum peritissimus, maximam partem Bibliorum in Turcicum idioma transtulisse. Quid de eo sit & futurum sit, tempus docebit.

Linguae Copticae characteres Græcis magnam partem affines sunt, & aliquot simplicia vocabula, præsertim nomina, cum græcis aliquo modo conveniunt, (ut videre est in copto prodromo, & lexico

Kircheri): sed ideo græcæ linguæ dialectus aut propago non magis dicenda est, quam Vngarica Gallicæ aut Italicæ, aut Hispanicæ, aut vice versa, quod hodiernis characteribus conveniant; aut Teutonica Persicæ aut Græcæ aut Latinæ, aut vice versa, aut Anglica Latinæ & Gallicæ, quia in vocabulis aliqua affinitas deprehenditur. Multo minus lingua hæc hebraicæ filia, aut affinis aut dialectus: uti ex viris doctis nonnulli; (inter quos Amama in censura ad Genes. 41. 45.) perperam opinati sunt; eo decepti: quod forte vulgare idioma Ægyptiorum à pluribus sæculis ibi usitatum, putarint esse Ægyptiacum, cum sit Arabicum; nec Ægyptiacum amplius supersit, nisi in libris M. S. S. apud Clericos Coptos. Psalterium Copticum in manibus nostrorum nunc est; & M. S. exemplar hic mihi ostendit Cl. D. Petrejus, editionem ejusdem pollicitus.

IX. De lingua *Abassina* seu *Æthiopica* non dubitandum, quin sit propago proxima Arabicæ ac Chaldaicæ, & remota Hebraicæ (quamvis ab omnibus illis charectere & ordine scribendi diversa): eoque cognitio ejus vel hoc nomine non negligenda. Sed versio Psalterii tanti momenti non est, cum ex Græco non ex hebraico per omnia fere expressa sit: præterquam quod versus aliquot Psal. 14. à Latina vulgata infarcti & Æthiopice redditæ (qui in græca editione non comparent) suspicionem aliquam moveant, non esse eam à Potken Colonix editam, uti ex Æthiopia allata fuit. Quod ad translationem partium aliquot N. T. quæ Romæ editæ, multo minoris ea facienda: cum ab Abassyinis Romæ alumnis aut prociusam aut saltem ad modulum Romanum interpolatam credi possit; quæ

quin immo pars aliqua ex versione Italica traducta sit, teste alicubi Scaligero in libris de Emendatione temporum pag. 281. (*sic scribebam Anno 1650* sed postea Biblia polyglotta Londinensia dederunt translationē Æthiopicā psalterii & totius N. T.) Hæc tamen non dislero, ut linguæ Ægyptiacæ & Persicæ, imprimis Æthiopicæ studium excutiam illis, quorū ingeniū & rationes hoc ferant. Minime. Cognitio earum, aut saltem gustus aliquis Philologis sacris affectandus videtur: *illius* quidem, propter antiquitates complures & voces aliquas, quas scriptura attingit; si forte Neocoptica vestigia, in aliquam antiquæ linguæ & rerum Ægyptiacarum cognitionē nos deducere possint. *Istius* tum quod circa voces & antiquitates non paucas in scripturis, auxilio ejus frui possimus: tum etiam quod vulgaris ipsius usus longe lateque hodie pateat, præsertim in imperiis Persico & Mogulico: ut nihil nunc dicam, de historiis & antiquitat. beneficio ejus linguæ eruendis. Cum Bibliis Londinensibus translatio Persica Pentateuchi & 4. Evangelist. edita est. *Hujus*, quod hebraicæ, Chaldaicæ & Arabicæ propago sit, quamvis diverso characteræ, & à sinistrâ ad dextram scribatur. *Armenicæ* linguæ in Philologia scripturaria vix usum video: nec etiam hebreæ, aut Syræ, aut Arabicæ, aut Persicæ affinis est; ne quidem characteræ & ordine scribendi. Quod idem de Iberica seu Georgiana, (cujus Lexicon nunc editum), censendum est. Quod si daretur ad antiquitates Ecclesiasticas eruendas, multum prodesse scripta Armenica, quæ fama fert (quam certa aut incerta nescio) quâ plurima adhuc superesse; utiq; antiquitatum istarū studiosis saliva moveri possit: sed hoc nihil faceret ad Philologiam sacram, de qua nunc

agimus. Translationes Bibliorum, si quas habent, eas ex corrupta editione græca factas esse, vix dubitandum est. Sed translationes Syriacas, & Arabicas, etiam Æthiopicas, saltem propter linguarum istarum cum Hebræa vicinitatem, data occasione magis conferendas censeo. Targumicæ potiori loco habendæ, non tantum propter linguæ proximæ vicinitatē, sed imprimis propter autoritatē apud Iudæos. Vide probl. nostra de Scriptura, ubi autores indicantur. Atq; hæc de Philolog. textui astricta. Patres nullos hic indigitavimus, tū quod inter omnes unius Hieronymi comment. aliquam linguæ hebr. peritiam spirent: tū etiā, quod à recentioribus modo nominatis ad partes vocentur; atque adeo ex eorum iudicio lectu dignę aut indignę Philologie patristicæ in ipsis legi possint, si quos hæc cura tangat. Si qui ex Græcis patribus ad N. T. Philologica aliqua conferat, eum non negligendum censeo; recentioribus tamen minimè præferendum, propter linguæ hebraicæ ignorantiam: sine cujus cognitione in phrasi N. T. Philologicè explicandâ, nulli patres Latini aut Græci, excellere potuerunt.

§. 5. Philologiam hanc textualem per partes seu species dispelcamus. Est ergo I. *Grammatica*, circa textum hebraicum, & ex parte Chaldaicum V. & Græcum N. T. Vbi consideratur vocum simplicium orthographia, prosodia, etymologia, imprimis complexarum syntaxis. De utrisque omnia observatu digna, quod ad linguam Græcam N. Testam. in gratiam tyronum notavit Piscator in scholiis suis; & Pastor in Lexico vocum singularum flexionem & significationem. Quod ad linguam hebræam V. T. idem utilem operam præstitit: ni-
hile

Philominus studiosis Theologiae diligenter evolven-
das censeo grammaticā Hebraeam & Chaldaicam
Buxdorsii; praesertim illius syntaxin, qualem ante
ipsius, à nullis Rabbiniis Iudaeis aut Christianis edi-
tam arbitror; & ex qua postea non pauci Philolo-
gi sacri prata sua irrigarunt. Inter omnia vocum
simplicium etyma, notanda illa quae in ipsis Bibliis
explicantur, qualia Heva, Kain, Seth, Noah, Abra-
ham, Bethel, Beersebah, Simeon, Iuda, Perez, Mo-
ses, Marah, &c. Inter constructiones imprimis
considerandae figuratae, & quae idiotismos istius lin-
guae constituunt; quales non tantum à Buxdorsio
in syntaxi, sed etiam ab Aria Montano, & ante eos
à Roberto Stephano collectae sunt. Sed omnes idi-
otismos, aliaque observata digna ad classes & ti-
tulos revocavit Glassius lib. 3. & 4. Philolog. tit.
Grammaticae sacrae. Confer apparatus autorum,
quos supra thesi 3. & 4. indicavi. De observatio-
nibus Grammaticis in solo N. T. consulendi scholi-
astae Philologici, & tract. supra indicati.

II. *Lexica*, genuinam vocum & phrasium Hebr.
& Graecar. expositionem ac translationem consi-
derat. Quo imprimis faciunt versiones V. T. Vul-
gata, Munsteri, Leonis Iudae seu Tigurina, Pagnini,
& Aeriae Montani, Tremellii & Junii. N. T. vulg.
Erasini, Bezae, H. Stephani translationes marginales
selectarum phrasum & sententiarum. Vernaculae
sunt Germanicae Lutheri & Piscatoris; Hispanicae,
Cypriani di Valera, ut R. D. Kimchi V. T.; Italicae
Ant. Brucioli & Iohannis Deodati; Gallica hodi-
erna in Ecclesiis Gallicis, Belgica hodierna in Ec-
clesiis Belgicis recepta; Graeco-Barbara N. Test.
Maximi Calliopolitae; Hebraica Hutteri; Persicam
versionem, alibi indigitamus. Non praeterenda
Notae

Notæ Tremellii, & Lud. de Dieu, Trostii in libros N. T. Peacoki in Epistolas aliquot minores; Munsteri in hebraicum Euangelium Mathæi; Fr. Junii specularius, hoc est, defensio editionis Syriacæ Tremellii c. Genebrardum; Wheloki notæ ad Persicam translationem priorum capitum Mathæi usq; ad 18. Fr. Junii notæ ad translationem Arabicam Actorum & Epist. 1. ad Corinthios; Fr. Tayleri notæ ad Targum Hierosolymit. Pentateuchi & utrumque Targum Estheræ, à se in latinum translatus. Vsserii Armachani Estheræ gr. ex edit. Origenicâ & vetere altera. Post varios notarum seu scholarum scriptores, utilissimam operam inter alios eclogarios hic præstitit Schultetus in delitiis, & in Exercitationibus euangelicis, atque epistoliciis. Ex Pontificiis scholia seu notas textuales in universa Biblia ediderunt, Ioh. Benedictus, Isidorus Clarius, I. Mariana, Mart. Delrio, Immanuel Sa; & in N. T. Jacobus Faber Stapulensis; & in epistolas Pauli, Gagnæus theologus Parisiensis. Adde virum dubiæ theologiæ quamvis in reformatis ecclesiis & scholis vixerit, Castellionem, cujus translatio Bibliorum cum notis exstat. Sed pauca Philologiam spectantia deprehendas in illis, quæ aut accuratius aut abundantius non suppeditentur ab autoribus jam laudatis. Poterunt tamen ex abundantia inspicere, ubi quis omnes omnium versiones & sententias conferre voluerit, aut controversia circa translationem textus inciderit. Et hæc quidem de explicatione vocum hebraicarum & Græcarum. Quia autem dictiones aliquot exoticæ intercurrunt, ex propria cujusque linguæ Philologia lexica explicandæ, earumque syllabus à Philologis nostris utiliter colligetur, ut in earum explicatione

se exercent, aut eam jam obtentam tantò facilius recordentur. Sunt autem illæ

I. *Chaldaica* aut *Syriacæ*: in *V. T.* Genes. 31. vs. 47. Ierem. 10. vers. 11. Psalm. 2. vers. 12. Et in Iobocomplures, quas notavit Mercerus, ut cap. 30. 2. 6. & 28. 8. &c. In *N. T.* Marci 7. vers. 34. & 15. vers. 34. Actor. 1. vers. 19. 1. Cor. 16. vers. 22, &c.

II. *Arabica*, aut ex Arabismo explicandæ. Quod Rabbini satis indicant, cum voce rara aut semel tantum in scriptura occurrente, ilico ad *Arabicam* confugiunt, eamque linguam *Kedar*, aut *Ismeelm*, aut *Arabim*, indigitant. Imprimis hic frequens est, *R. Aben Ezra*, cui lingua hæc vernacula fuit. Vide ejus dictum ad Cantic. 8, 11. Sunt a. in *V. T.* Iobi 35. 16. & 36. 31. & 41. 9. 11. &c. Reliqua inter legendum studiosi observabunt; aut si malint compendio uti, adibunt lib. 2. Thesauri Hottingeri cap. 1. sect. 3. pag. 506. In *N. T.* *Elymas* Actor. 13.

III. *Græca*, aut illis affines in *V. T.* *Kaitros*, *symphonia*, *sesanterin* Dan. 3. Quæ apud alios scriptores hebræorum Rabbnicos & Thalmudicos occurrunt, peculiari libello collegit & exposuit David Cohen de Lara.

IV. *Hebraica N. T.* sunt vel *Biblicæ* vel *Rabbini- cæ*. *Biblicæ* sunt, Amen, Hosanna, &c. Eas una cum quamplurimis Hebraïsmis (quos nomine linguæ Hellenesticæ nonnulli appellant) abundè explicarunt autores thesi 3. citati. *Rabbini- cæ* sunt, *geenna*, *synedrion* (Matth. 5.) &c. *Corban*, Matth. 15. de qua Scaliger de Emendat. temp. pag. 40. de eadem aliisque Angelus Caninius ad voces *N. Test.* Omnes autem cum plerisque

I

Rabbi

Rabbinismis & thalmudismis præter notarum scriptores explicuit Drusus in præteritis, & ad voces N. T. Hebraicas, Broughtonus in variis opusculis. Post quos operam suam hic exercuit Lud. Ballester in Onomatographia sacra.

V. *Latinae* N. T. Custodia, lention, spira &c. De vocibus Ægyptiacis & Græcis in V. T. occurrentibus Mayerus part. 1. Philologiæ sacræ cap. 3. & 4. Vide eas collectas à Beza in notis, & Pasor in fine Lexici.

VI. *Persicæ* V. & N. T. *debir* Iosua 15. vs. 15. Iudic. 1. vs. 12. (Vide Schichardum ad Tarich p. 21. & Bocharti Phaleg. lib. 1. cap. 15. & lib. 4. cap. 10.) *pardesim* Eccles. 1. ginze & purim Ester 4. & 9. Magus & Magia Matth. 2. Actor. 8. & 13. (de qua voce aliqua notavimus 3. part. select. disp. tit. de Magia), Angaria & Angariare Matth. 5. vs. 41. Adde nomina officiorum, & propria personarum, locorum &c. (ex gr. Coresch, Dariaves, Achasueros, Zerez, Achasdarphanim, Ester, Parthemim, quæ in Daniele, Ezra, Nehemiah, Estere occurrunt hætenus ab Interpretibus Iudaicis & Christianis ob linguæ ignorantiam non satis explicata. Nec prætereundum τὸ *Asmodæus*, nomen demonis in Apocrypho libro Tobia, de cuius etymo ex hebræo variæ conjecturæ, quas ad quatuor potissimum revocatas & explicatas vide apud Ludov. Ballestar in Onomatogr. sacra. Sed cum illa in Media dicantur gesta, cur non liceat conjicere, *Asmodai* notare tentatoré? cum nunc ex libris Persicis discamus τὸ *aschmouden* tentare, & *aschmajad* tentatio. Sed conjecturam meam narro. Doctiores meliora adferant.

VII. *Ægyptiaca*, V. T. Genes. 41. 45. Tlophar
Paano-

Paaneach & N. T. Renphan: Actor. 7. de quibus fuse Kircherus in copto prodromo. Aliquid etiam notat Amama in Antibarb. p. 438. & Ludov. de Dieu ad Actor 7. Quamvis longe aliter de voce hac sentiat Petitus lib. 1. variar. lectionum. Huc referenda, nomina propria personarum, Iannes, Iambres, Pharao, Potifera &c. Et locorum, ut Moph, De his vide *Bocharti Phaleg* p. 67. 68. Et etymologiam Mosis apud Kircherum lib. cit. ex Ægypto accersitam. Quod ante illum inter veteres tentarat Clemens Alexandrinus & inter recentiores Angelus Rocca in Bibliotheca Vaticanâ p. 306. Mercerus ad Gen. 41. vs. 43. censet vocem *abrech* esse Ægyptiacam. Quomodo alii variantibus sententiis in Hebræa lingua eius originem quaerant, vide in Christophori Cartwrighti *Electis Targumico-Rabbinicis in Genesin*. Confer Mayerum modo cit.

III. *Rhetorica* (ut ab Oratoriâ distinguitur) considerat tropos & figuras: quæ à Piscatore in V. & N. T. diligenter annotata sunt. Ex quibus rariora atque illustriora (præsertim circa quorum evolutionem dubia moveri solent) quisque secundum ordinem librorum sacrorû selecta enotare potest. Peculiariter attendendum ad ejusmodi tropica allegorica, quæ formam induunt

- 1 *Apologi*, ut Iudic. 9. vs. .
- 2 *Hypotyposes* per *Fictionem parabolicam*, ut 1. Reg. 22. vs. 20. 23. Iobi 1. vs. 6. Hoseæ 1. vers. 2.
- 3 *Anigmatis*, Iudic. 14. vers. 14.
- 4 *Hicoglyphici*, seu *Emblematis*, ut Ezechiel 17. vers. 2.

Huc revocari potest Ecclesiast. 12. vers. 1. 2. 3. 4. aliaque quæ notat Sandeus lib. 1. Theolog. Symbol. 5 *Symboli*, & tituli, ut Genes. 22. 14. *Iehova Live*. Exod. 17. 15. *Iehova Nissi*. Ezech. 48. 36. *Iehova*

Jehova scannma. Iudic. 6.24. *Jehova scalom.* Gen. 33. 10.
El elohé Israel. 6 *Paradoxi,* ut 2. Cor. 6, vers. 9, 10.
 Vide indicem eorum præmissum commentar. Cor.
 à Lapide in Euangelistas. 7 *Adagii;* quæ omnia
 ex toto V. & N. T. collecta explicarunt Delrio
 & Andr. Schottus. Confer de iisdem, aliisque
 sacris symbolis, emblematis, ænigmatis &c. Ma-
 xim. Sandei Iesuitæ Theologiam symbolicam, e-
 jusdem tractatus de hyperbolis, & Glassii Philo-
 logiam sacram, aliosque scriptores, quos in 2. part.
 select. disp. tit. de signis allegamus. Video Glassi-
 um lib. 2. Philolog. pag. 460. promittere Rheto-
 ricam sacram. An ea edita sit, nescio.

IV. *Oratoria,* considerat artificium oratorium, *pri-
 mo,* quod ad dispositionem seu partes orationis (ex-
 ordium scilicet, propositionem &c.) *Secundo,* quod
 ad inventionem, declarationes scilicet, probationes
 & amplificationes. Videantur analytici in epi-
 stolas Pauli, in orationes Tertulli & Pauli Actor.
 24. & 26. & Actor. 14. & 17. in conciones, præ-
 sertim Iesaiæ 1. &c. *Tertio,* quod ad genera orationū;
 deliber. sc., demonstrat., judiciale.

IV. *Poëtica:* quæ aut explicat, aut quærit artificia
 Poëtica, si quæ in scriptura occurrunt. Confide-
 rantur ea 1. *In generibus carminum secundum formam &
 metrum,* ut Deuter. 31. Exod. 15. vs. 20. 30. coll.
 cum 32. per totum. Ios. 10. vs. 12. (ubi vide com-
 ment. Masii) Iudic. 5. 1. Sam. 2. 2. Sam. 1. Iobi
 cap. 4. & sic deinceps per totum. Vide prolego-
 mena Merceri ad Iobum. Integrum Psalterium,
 (de quo Gomarus in lyrâ Davidis;) Canticum Can-
 ticorum, Iesaiæ 5. & 12. & 38. Threni Ieremiæ,
 Ionæ 2. Habacuc 3. 2. *In generibus carminum secundum
 materiam;* e. gr. *Epinicio,* Exod. 15. & Iudic. 5. &
 quam-

quamp plurimis Psalmis Davidis, & Iesaiæ 12. & 26. Epico, Deuter. 32. In Proverbiis, & in variis Psalmis Davidis. Epitaphio, 2. Sam. 1. Epithalamio; Psalm. 45. Idyllio erotico, sub forma dialogi seu dramatis Pastoralis, ut in Cantico Cant. 3. In luminibus elocutionis poeticæ; Quæ cum Græcorum & Latinorum Poëtarum floribus conferri possent. Vide commentar. Merceri in Iobum; Sed pluribus de Poetica sacra Nierenbergius lib 7. de Origine scripturæ cap 5. 6. 7. 8. ubi specimen collationis poetarum Gentilium Græcorum cum scriptura. In Homeri phrasium Poëticarum collatione cum eadem simile quid tentatum à Iac. Capello, in Vindiciis Casauboni lib. 4. Huc etiam referri possunt paraphrases Poëticæ græcæ librorum scripturæ ex. gr. Psalmorum Apollinaris, Francisci Porti, Petavii: Proverbiorum, Iacobi Meilerii; Iohannis Nonni Panopolitæ. Cum qua confer Heinssii Aristarchum, ubi quamp plurima ad talium paraphrasen *katborthesin* pertinentia occurrunt. De latinis paraphrasibus poeticis Iuvenci, Aratoris, Andree Hoji, Buchanani, Bezae, &c. & in vulgaribus linguis, præsertim nostra Belgica, complurimum, nunc non agam; ne nimis prolixus sim. Ad hanc Philologiam referatur consideratio carminū, quæ ex profanâ poesi in Bibliis citantur, ut Act. 17. 28. ubi vide notas Grotii, ejusdemque comm. in Aratum. Tit. 1. vs. 12. cujus hemistichium etiam existat apud Callimachum hymno 1. qui est in Iovem (vide comment. Frischlini), 1. Corinth. 14. vs. . . Vide notas. Confer Nierenbergium aliosque supra thesi 3. cit. De Psalmis Salomonis Ioh. Lud. de la Cerda in fine adversar. sacrorum, de iisdem & de poemate Ezechielis Nierenbergius mirum in

modum λεπτολογεσι, aut potius ληρολογεσι
Adeat eos, cui vacat.

V. *Historica* est, quæ dictionum, phrasium, adagi-
orum, sententiarum, narrationum, locorum, tempo-
rum, personarum in scripturis occurrentium genui-
næ explicationi ex collatis antiquitatibus atque hi-
storiis sive sacris sive exoticis sive utrisq; lucem fœ-
neratur. Sunt autem antiquitates hic eruendæ, vel
Ecclesiasticæ seu sacrae, vel Politicæ seu saculares.
Illæ sunt circa res religionis seu cultus divini, sive
veri sive falsi. Huc pertinent Seldenus de DIis Sy-
ris, & autores qui aut omnia, aut aliqua ad legem
moralem aut ceremoniam in scripturis spectantia
ex professo explicant ex. gr. de Festis, de sacrificiis,
de decimis, de templo, de sacerdotio & sacerdoti-
bus, de ritibus sacris &c. quos alibi & suis locis in-
dicavimus. *Istæ* sunt circa res politicas, œconomi-
cas, scolasticas aliasque seculares. Huc pertinent
autores illi, qui legem politicam Mosaicam, aliasq;
Iudæorum & aliarum Gentium politias, leges, mo-
res, &c. in scripturis occurrentes ex professo eno-
tant, aut etiam explicant: quales sunt, præter Ariã
Montanum & scriptores de Republ. Hebræorum,
aliqui ex illis qui tractatus speciales de legibus, de
Iure Regio, de Iudiciis, de pœnis, de bello, de nu-
ptiis, de funeribus, de agricultura, de mercatura,
&c. edidere; qui alibi indicantur. Imprimis autem
hic locum inveniunt tractatus de nummis, ponde-
ribus, mensuris sacris, quales, Waseri, Iacobi Ca-
pelli; quibus adde Scaligerum, Snellium &c. Con-
ferendi etiam tract. de topographia & architectu-
ra sacra, descriptiones imperfecte mixtorum, ani-
malium, herbarum, fossilium &c. quæ ratione ex-
plicationis vocum pertinent, sicuti ratione explica-
tionis

tionis

tionis rerum ad diatribas de historia & de philo-
 sophia facta; ubi eos indicamus. Vtręquę antiqui-
 tates tam sacrę quam sæculares, in duo genera di-
 spescuntur: vel enim solius scripturę beneficio e-
 ruuntur; vel accito etiam profanorum scriptorum
 auxilio. *Prius* faciunt omnes notę marginales, o-
 mnia commentaria: nec de eo quidquam monendū
 est. *Posterius* à scripturę interprete minime alienū
 esse, docent notę & commentaria præstantissimo-
 rum theologorum; & ex professo causam illam agit
 Scultetus Orat. cit. In materia de supputatione
 temporum idem contendit Scaliger in Elencho O-
 rat. chronolog. Parei. Hac occasione moneo, au-
 dacibus ac calidis philologorum quorundam circa
 scripturas crisibus ac decisionibus, quę sæpè *anako-*
louthia laborant, aut supra conjectanea, verisimi-
 lia & probabilia non assurgunt, haut ita fidendum
 esse; nedum ut pro interpretationibus ecclesiasticis,
 aut solide theologicis dictatis eas nobis obtrudi
 patiamur. Porro exempla eorum quę in V. T.
 aut in N. T. ex collatione scripturarum illustranda
 occurrunt, non est quod hic annotem; cum ea ubi-
 que observari possint, ex inspectione Scholiorum
 Piscatoris, aut notarum & concordantiarum mar-
 ginalium, quę latinis aut vernaculis Bibliorum edi-
 tionibus adjici solent; inter quas tempore omnium
 postremę, sed *αριστεία* primę sunt Belgicę & An-
 glicę. Varia illa, quę ex historia extranea illustran-
 tur, sunt duorum generū; Alia enim à scriptura
 tantum explicantur quod ad τὸ ὄτι: alia etiam quod
 ad τὸ δι' οὗτι. *Posterioris* exempla sunt, De ritu Phi-
 listeorum limen templi non calcantium 1. Sam. 5.
 De religione Samaritica à Judæorum divisa 2. Reg.
 17. Vnde etiam lux infertur Ezrę 4. *Prioris* exem-
 pia

pla sunt, mactatio filii regis Moabitarum 2. Reg. 3. Pastores Ægyptiis abominandi Genes. 41. Vitulus aureus festo, ludis, choreis cultus Exod. 32 Baalitarum ritus 1. Reg. 18. Vtrarumque antiquitatū quas scriptura aut innuit & tangit solum, aut per causas explicat, & quas etiam Historiæ & scripta exotica aut attingunt aut ex professo explicant, exempla hic non recensebo. Suffecerit nunc specimen aliquot dictionum & phrasium indicasse, quæ antiquitates Iudaicas, Ægyptiacas, Assyrias seu Syras, Persicas, Græcas, Romanas aliqua ratione attingunt.

I. *Iudaica* sunt, quæ ex Flavio Iosepho, Scriptoribus Thalmudicis, etiam Gentilibus (quæ subinde res Iudaicas attingunt) hauriuntur. Ut de *Vrim & Thummim* Exod. 18. Vide Fagii, Pererii, Ainsworthi, Riveti, à Lapide, Willeti &c. comment. ad locum cit. Delrio lib. 4. disquis. Magic. quæst. 2. §. 4. Abdiæ Widmarii Orationem de *Vrim & Thummim*, Sheringhamii notas ad Ioma pag. 118. De *Teraphim* vide Iudæorum & Christianorum præcipuos aliquot autores cit. apud Cartwrightum ad Genes. 31. vers. 19. De igni sacrificiorum Levit. 10. & 1. Reg. 8. De quo Raynoldus in prælectionibus ad libros apocryphos. De *eplimeria* Luc. 1. De quo Scaliger in canonib. Isagogicis, & Scultetus in dilitiis Evangelicis cap. 6. De *Sabbatho Deuterop* 7. de quo Scultetus in Exercit. Euangel. Et Petitus in var. lectionibus lib. 2. cap. 2. De præfectis & custodibus templi. Math. 26. Act. 3. & 4. De ritibus in manducatione paschæ & cœnæ Math. 26. Vide exercitationes Buxdorfii fil. earumque vindicias contra Capellum. De itinere sabbathi Act. 1. De *hæc præcationis* Act. 3. 1. Coll. cum 10. vs. 9. De

de quo præter notas, Buxdorsius in epitome radicum in voce *manach*. Et Petitus lib. 1. cap. 15. De *plagis* 2. Cor. 11. De quo Buxdorsius in præfat. ad abbreviaturas. Reliqua quære in notarum scriptoribus, & Drusii præteritis. Eiusdemque Observationibus, Quæstionibus, Miscellaneis, Animadversionibus, Cum quibus conjungendi uterque Buxdorsius, uterque Capellus, Seldenus, Schichardus, Gilbert. Gaulmin, in variis scriptis, Scalliger in libris de emendatione & Eusebianis, idemque cum Drusio & Serrario de *Hasidæis* & de sectis Judæorum: Nicolaus Collado tract. peculiari de Nazareis ad Matth. 2. 23. editores aliquot partium Thalmudis supra cit. ; ad hæc Petitus in libris variarum lectionum; (ubi de Nazareis, testibus, juramentis, suppliciis, phylacteriis, repudiis, sectis, ministris sacris, &c.) Barthol. Mayerus in philologia sacra. Deniq; Grotius in notis ad *V. & N. T.* qui symbolam aliquã huc contulit. Gilbertus Gaulmin in notis ad vitam Mosis p. 321. promittit tract. peculiarem de *Ritibus Iudæicis N. T.* Nec dum scire potui an prodierit. Opus illud sane philologis sacris utilissimum esset.

II. *Ægyptiacæ*, quæ ex Græcis scriptoribus potissimum, etiam aliquo modo ex latinis Justino, Curtio &c. depromuntur. Kircherus in *Oedipo Ægyptiaco*, & in *Obelisco Pamphilio*, plurima ad antiquitates Ægyptiacas spectantia pertractavit. Chronica linguâ Copticâ conscripta quæ in Vaticana aliisque Bibliothecis Europeis ostentantur, & in Ægypto haberi dicuntur, scire velim an antiqua sint, & gesta post diluviana ante Christum (de quibus potissimum laboramus) notaverint. Sunt ergo Gen. 46. vers. 34. *de abominatione Ægyptiorum.*

K

Vide

Vide Gaulmin lib. cit. pag. 266. qui aliter, quam haecenus Hebraei & Christiani commentat. causas abominationis assignat. Psalm. 68. *de bestis arundinis*: de quo Scultetus in Oratione supra laudatâ. Sed forte referri posset ad prædones illos in palustribus Ægypti dominantes: de quibus Scaliger in Eusebianis, & Gaulmin loco modo cit. Genes. 13. de fertilitate Ægypti. Exod. 2. de lotionem filia Pharaoh, quam religiosam censet Gaulmin in notis ad vitam Mosis lib. 1. cap. 3. His aliisque ex antiquitatibus Ægyptiorum uberior lux quærenda, apud scriptores modo cit. Quibus adungi possunt notæ Merceri ad Horapollinis hieroglyphica gr. lat. edita, Sixtus Senensis in Bibliotheca, ubi de sapientia Ægyptiorum; Sandeus de Theologia symbolica, ubi de Pyramidibus Ægypti, apud quem plures alios authores citatos videbis.

3. *Assyria, Chaldaica, Syria* (ad quas refero Phœnicias, Palæstinas, Midianiticas, Ammoniticas, Moabiticas, Amalekiticas, Idumeas, Arabicas,) depromuntur ex historicis græcis potissimum, & ex illis quæ apud antiquos quosdam scriptores præsertim Eusebium, ex rerum Orientalium scriptoribus, nunc deperditis, citata comparent. Et sunt ex gr. 2. Reg. 3. vers. ult. Ezech. 26. 27. 28. ubi descriptio urbis & mercaturæ Tyrionum. Genes. 10. vs. . . . de Nimrod. Genes. 31. 19. Lumen his antiquitatibus intulit Seldenus in syntagmate de Diis Syris. Gaulmin anno MDCXXIX. in notis ad lib. Rabbin. de vita & morte Mosis pag. 204. promittebat libros suos de Theologia Chaldaica. Haecenus non potui resciscere an fidem liberaverit. Utinam, qui ampliss. & clariss. viri molles aditus & tempora norunt, eum urgeant!

4. *Per-*

4. *Persica*, apud Græcos scriptores, qui etiamnum exstant, & in fragmentis à Scaligero cum Eusebio editis quærendæ. Nam mihi non fit verisimile, domesticos istius gentis & linguæ scriptores alicubi superesse, qui ante monarchiam Persicam, aut stante eâ, aut post eam sub monarchia Græcorum aut Romanorum scripserint. Iesai. 11. & 30. Vexillū erectum fusè explicatur ab Arn. Boot. lib. 1. animadvers. sacr. cap. 3. 8. & lib. 2, cap. 5. Saltem nulli hætenus ex Bibliothecis Orientis, præsertim Persicis, in Europa editi. Tales antiquitates in Daniele, Esther, Ezra, Nehemia explicantur à commentatoribus. Quales Serrarius, Drusius, Bonartius in Esther; Broughtonus, l'Empereur, Melanthon, Fr. Iunius, Polanus, Willetus, Pererius in Daniele; Lavaterus & Serrarius in Ezram & Nehemiam, Drusius lib. 12. observ. per totum. Aliquid etiam hæc conferet vir vastissimæ lectionis & eruditionis Ioh. Raynoldus in prælect. ad libros apocryphos. Voces N. T. sint *Magus* Matth. 2. de quo præter comment. Scultetus in Delitiis cap. 20. Angariare, Matth. 5. & 27. Vide præter notarum scriptores laCerde in adversar. cap. 118. 120. 173. & Drusium lib. 1. præterit.

5. *Græca chreomatismos* Matth. 2. Schultetus in Delitiis cap. 24. De *theriomachia* Ephesiana 1. Corinth. 15. de quâ Scultetus orat, cit. & Beza ac Grotius in notis, De *agone & coronis*, 1. Corinth. 9. Hebr. 12. vers. 1. &c. Vbi præter notas ad locum, succurret agonisticon Petri Fabri. De *Asiar-chis* Act. 19. De *Stoicis & Epicureis*, deq; *spernologo ignoto Deo, Areopago & Areopagita* Act. 17. De *Dioscuris* Act. 27. De *Iove, Mercurio, tauris vitatis* Act. 14. De *calculo albo* Apoc. 2. Vide *Petitum*

titum lib. 1. variar. lection. cap. 8. De Ephe-
 so *neokw ro* Actor. 19. Vide Petitem lib. 4.
 cap. 10.

6. *Romana*. quæ ex rerum Romanorum scripto-
 ribus petendæ. Vt *apographe* Luc. 2. vers. 1. De
 quo Scult. in deliciis cap. 12. 41. *Legio* Matth. 8.
Crucifixio Matth. 27. Vide Lipsium & Gretserum
 de cruce, *Cohors Italica* Act. 10. Adde, quæ ex Iure
 Romano explicanda, ut adoptio Ephes. 1. 5. Depo-
 situm 2. Tim. 1. vs. 12. Ius civitatis Romæ Act. 16.
 & 22. Catena & miles Paulo adjunctus in captivi-
 tate Act. 28. cum 2. Tim. 1. Provocatio ad tribunal
 Cæsaris Act. 26. Huc faciunt autores, qui Ius Ro-
 manum cū Iudaico conferunt; quales l'Empereur
 in *Bavakama*, & Seldenus in tract. de *succession.*, de
Vxore hebræa, de Iure Naturali & Gentiū, de *Mari*
clauso, aliique alibi indicandi. Ad universam hanc
 antiquitatum exoticarum farraginem, si quas scri-
 ptura attingit, aut si quæ ad scripturarum explicati-
 onem advocandæ sint, non parum conferent anti-
 quitatum scriptores, cum topographicis, archite-
 tonicis, chronologicis in diatribe de *Historia Sacra*
 citandi.

VI. *Criticæ* pars gemina est: *Prior* occupatur in ju-
 dicio de styli Scriptorum *V. & N. T.* puritate, orna-
 tu Rhetorico, aut Poëtico, nec non caractere, in
 genere; & singulorum scriptorum idiotismis in spe-
 cie, tum in se tum inter se comparate. Sic e. gr. Beza
 in notis ex stylo epist. ad hebræos colligit inter alia,
 eam esse Pauli. Sic ex idiotismis Evangelii Iohannis
 (præsertim cap. 1.) viri docti colligunt eum acco-
 modari Theologis Targumicis & hebræis. Stylus
 apocalypticus immo & modus visionū & *ekphrasen*
 docet librū illum propius referre inter Prophetas,
 Zacha-

Zachariam. *Alter a pars* philologiæ criticæ textualis, versatur in variantium lection. observatione, collatione, dijudicatione. Quod ad veteris test. masorã, aureã ejus clavem præstat Tiberias Buxdorfii: qua philologus sacer carere non porest. N.T. lectiones plerasq; annotavit Beza, & Crispini editio N.T. in 16., & Rob. Stephani in 16. & in fol., ex qua Wecheli in fol. expressa est. Easdem habet editio gr. Wecheli, V. & N.T. in fol. Addi possunt variæ lectiones & interpretationes Symmachi, Theodotionis, &c. translationis gr. V. T. iisdem Bibliis Wecheli ubiq; adjectæ. Idem agit Flaminius Nobilius ad edit. gr. Romanam, quæ postea Parisiis recusa. Translationis Syriacæ N.T. lectiones cū additis notis exhibet editio Trostii Syro latina in 4. & Plantini edit. in 8. & 24. quæ caractere hebræo sine punctis expressa. Infinitas fere lectiones versionis vulgatæ invenies in edit. Clementis VIII. apud Plantinum in fol. & Bibliis Lovaniensibus. Et peculiari tract. Francisci Lucae: cum quibus conferri debet Thomæ Iamesii Bellū Papale, seu Concordia discors &c. Sed hic abrumpo, & criticæ sacrae studiosos ad eruditissimos labores Glassii in Philol. sacra & Hottingeri in thesauro philologico, ablego.

§. 6. Vtraq; philologia sacra, systematica & textualis, est vel simplex, seu explicatoria; vel elenctica. Hæc ad syllabum problematum secundum ordinẽ librorum scripturæ, in collegiis privatis à studiosis nostris tractari potest. Nos specimen aliquod ejusmodi dubiorum seu problematum philologicorum hic solummodo exhibemus, cum indicio autorum, absque disceptatione aut rationum utriusq; partis explicatione; ut chartæ & expensis parcamus. Sunt autem ista.

I. *Ex grammatica.* An literæ antiquæ Hebræorum fuerint Samaritanæ, & præsentis, quibus biblia nunc scripta, sint novæ & ab Ezra inventæ aut introductæ. Vide Hottingerum contra exercitationes Morini ad Pentateuchum Samaritanum; & Buxdorsium fil. in dissert. philologico-theologicis, dissert. 4. An lingua hebræa sit antiquior Chaldaicâ, & hæc ex illa propagata, an vice versa. Vide Barthol. Mayeri Philologiæ sacræ part. 2. per totum. De *einai isa to theo* Philip. 2. Vide præter notarum scriptores Gomarum ad Phil 2. & Iohan. Iunium adversus Socinum contra Wiekum. Memini de eo etiam aliquid notari à Posselio in syntaxi Græca. De *Tav* Ezech. 9., an notet literam alphabeti hebraici, eamq; (uti Hieronymus ibi commentatur) figuræ antiquæ, Samaritanæ scilicet; quæ crucem referat. Vide Hottingerum in exercit. *Anti-Morianis*, & Crinesium in discursu de confusione linguarum. Idem tribus verbis perstringit Drusius in veteri alphabeto hebraico p. 22: *Mordicus* tamen recentiores aliqui hanc conjecturam an fabulam tuentur Gretzerus lib. 1. de cruce cap. 51. Prædus in Ezechielem cap. 9. Sandeus de theol. symbolica p. 104. ait: *ambigere vix licet*; qui ibidem addit latere hic ænigma.

II. *Ex lexica.* Quid sit *dudaim* Gen. 30. 14. Vide de hoc Diatribè Drusii, editam cum notis ipsius in Ruth; post quem in idem inquit Fullerus lib. 6. Aliorum sententias vide apud Cartwrightum. Quid *Kikaton* Ionæ 4. Vide Fulleri Miscell. Quid notet Petra Ios. 5. Vide nostram disp. de Creatione. Quid *υπο μίας* Iohan. 8. Vide Fulleri Miscell. Quid sit *koma*, *koman*, *phusis*, *prepon* I. Corinth. II. II. Vide specimen plenissimæ & accuratissimæ disceptationis

nis

nis Philologicae à Rever. collega nostro Carolo de Maets exhibitum in disp. Textuali ad 1. Cor. 11. Qui hic quoscunque *philomatheis* docuit accuratè *theologein* in questionum moralium & casuum conscientie determinationibus. Quid *analnein* Phil. 1. 23. Vide præter notas, imprimis Scultetum in delitiis c. 26. Quid *theriomachein* 1. Corinth. 15. Vide Scultetum in orat. cit. & confer 2. Timoth. 4. vers 17. Psal. 68. 31. & 22. 13, 17. An Gen. 11. *Tsaphnatphanea* sit vox Ægyptiaca, & notet *occuliorum interpretem*. An *Renphan* Act. 7. itidem sit vox Ægyptiaca. Videntur reliquæ interpretationes hæctenus minime *ευσοχαιν*, ideoque amplectenda illa, quæ nunc recenter *philologei* Kircherus in suo Copto prodromo.

III. Ex Rhetorica, Vbi sit tropus Matth. 26. vs. 30. Vide nostram disp. de selectis problematis. An & quales sit figura Rhetorica, in loco epistolæ ad Philemon. vs. 5. Vide corollarium subjectum disp. de Insolubilibus scripturæ.

IV. Ex Poëtica, An omnes, an aliqui psalmi Davidis, item Iobus &c. metris adstricti sint? Et an ratio metrorum ex Græcorum aut Latinorum poësi investiganda sit. Vide quid hic sentiat & ardua ac minime trita opera molitus sit magnus Philologus simul ac Theologus, Franciscus Gomarus in Lyra Davidis.

V. Ex Historica. Qui fuerint Hellenistæ Act. 6. Vide Matthæi Cotterii exercitationes de Hellenistis, & lingua hellenistica: cum quibus conferri possunt *Salmasii tract. de ling. Hellenist.* & *Hottingeri Thesaur. philolog.* lib. 1. cap. 3. sect. 3, quæst. 14. & apologia pro Heinio contra Croym. 12. 16. Sed ex Hottingeri, Et apolog. Heinianæ explicatione ac distinctio-

ne facile colligitur, ad logomachiam totum hoc certamen redigi posse. De nomine *Ieschu*, an à Iudæis per contumeliam ita formatum. Vide 3. part. select. disput. tit. de Superstitione. De libro Iobi, an à Thalmudistis ex canone expungatur. Vide nostram Desperatam causam Papatus. Addatur & hoc (quamvis cum præcedentibus ad historiam theologiam aut ecclesiasticam proprie pertineat.) An Muhammedus loc. cit. apud Bellarminum lib. 1. de Purgatorio cap. 7. tradat purgatoriū. Quod vide castigatum à præstantiss. & diligentiss. in Orientalibus philologo Theodoro Hacspan in notis ad excerpta Alcoranica. Adde viri illius justissimæ censuræ, quod translatio Alcorani Gallica nuper accurate Andreâ duRyer ex Arabico edita, nihil tale habeat.

VI. *Ex critica*, An lingua N.T. non sit dicenda gr., sed hellenistica. Vide tract. Salmasii de ling. hellenist. & Cotterii de hellenistis. Et Hottingerum breviter ac perspicue litem hanc componentē loc. supra cit. An stylus N.T. sit barbarus. Vide præfat. Hen. Stephani & diatriben Sebást. Prochenii. Quæ sit genuina lectio *tu Scilob* Genes 49. Vide fuse & docte c. Morinum differentem Cartwrightum in notis, & disput. nostram de adventu Messia. An *τὸ Kετιφ* Psalm. 22. 17. necessario dicendum sit corruptum esse, eique *τὸ κερι* substituendum. Vide disp. nostram de Insolubilibus scripturæ. An 1. Iohan. 5. vl. 7. nostrorum codicum lectio retinenda sit. Vide de hoc Nicol. Vedelii egregiam disceptationem contra Socinianos, in Opusculis theologis Franequeræ editis in 16. An interpretatio 1. Timoth. 3. 15. gr. codicum retinenda; an vero verba illa *στυλος καὶ ἐδραίωμα τῆς ἀληθείας* sine ullo puncto

puncto

puncto cum proxime sequentibus, *καὶ ὁμολογήσας* *μεγα* &c. (ut vult vir quidam eruditiss.) conjungenda. Ante hac datâ occasione discipulos nostros viri illius scripta de nostro consilio legentes aut lecturos monuimus; tam procul quæsitâ, & magis ingeniosâ, quâ solidas interpretationes nec hic nec alibi, posthabitis planioribus, magis tritis, & ultro citroq; cū rigore examinatis, confectandas non esse. Rationes tunc usurpatas hic non addo, partim ob chartæ angustiam, partim ob occupatum jam & publice editum interpretationis illius examē ab insigni & veterano inter Gallos theologo Gulielmo Riveto in epist. apolog. contra præf. Amyraldi. An Matth. 6. 13. verba illa quæ clausulâ faciunt orationis dominicæ, quæque exhibent Biblia Regia Antwerpiana, Complutensia Ximenii, Parisiensia ex Romana editione cum notis Flam. Nobili expressa, Editiones Regiæ Roberti Stephani, omnes editiones Plantinianaæ aliæque in medio Papatu adornatæ, nec non translationes Syriaca & Arabica exhibent, in contextum irreperint. Vide notas Beze, imprimis Glassii Philologiam sacram pag 185. Atq; hoc specimen problematum Philologicorum hac vice sufficiat. Iustum omnium aut plerorumque syllabum secundum ordinem sive librorum scripturæ, sive locor. commun. facile quis contexet, ex philologis sacris supra thesi 3. citatis; & præstantioribus scriptoribus elencticis seu apologeticis, qui contra heterodoxos veritatem tuentur: inter quos proxime ad hoc institutum faciant, qui versiones aliquas scripturæ aut notas textuales ex professo oppugnant aut propugnant, quales Parisienses, Leus, &c. c. Erasmus & Erasmus in oppositis apologiis; Castellio e. Beza, & Beza in opposita

L

apog

apologia: Arias Montanus in defensione versionis
 suæ contra anonymum quem, Bibliis ipsius inter-
 liniaribus præmissa; Cottonus c. versionem Galli-
 cam tit. Genevæ plagiariam, cum oppositis apologiis
 Turretini & Tronchini, (quæ omnia Gallicè tan-
 tum, quod sciam, exstant,) & Jacobi Capelli cen-
 sura, quæ latine cum replica Gallica Turretini edi-
 ta; Croyus contra notas Heinsii in Nov. Testam.,
 cum apologia Heinsii ab anonymo edita: Petrus
 Piscator in translationem Iohannis Piscatoris, cum
 hujus opposita defensione: Sixtinus Amama in
 censura vulgatæ versionis Pentateuchi; denique
 Wittakerus, & Chamierus in controversiis de gr.
 V. T. & lat. V. & N. T. translationum autoritate;
 & Raynoldus in libros Apocryphos, idemque ac
 ipsi similes *philologikæ teroi* in controversiis. Alios,
 qui vernaculas versiones vernaculo sermone exa-
 minant, studio nunc prætereo; & quosdam eo-
 rum indicatos memini in Bibliotheca. His adden-
 di autores supra citati ut Drasius in variis opuscu-
 lis, Petrus, Fullerus, Scultetus, imprimis Glassius
 in *Philologia sacra*. Compendium forte que-
 rendi & colligendi fieret, siquidem plures Philolo-
 giæ sacræ Doctores imitarentur Theodorum Hac-
 span, & Iohannem Ernestum Gerardum, quorum
 disputationes Academicas ad loca selecta scriptu-
 ræ nuperrime citatas vidi; sed quas nondum nan-
 cisci potui. Christophorus Crinesius specimen a-
 liquot (octo scilicet) problematum subjecit discursu
 sui suo de confusione linguarum. Morini & op-
 positæ Hottingeri exercitationes ad Pentateuchum
 Samaritanum, & hujus *Thesaurus Philologicus*,
 qui nuperrime ad manus nostras pervenit, segetem
 aliquam problematum suppeditabunt. Matthias
 Mar-

Mar-

Martinus disputat. Philologicas aliquot in Pentateuchum & sequent. libros instituit, sed controversa aut maxime dubia ex professo non tractat. Atque hæc loco introductionis de Philologia sacra nobis dicta funto, partim ut studiosos nostros ad studium ejus excitarem & manuducerem, partim ut iis ostenderem, quomodo os obstruendum sit sycophanticis & invidis hujus, non dico, eruditionis, sed & nudorum titulorum atque appellationum insectatoribus; qualis anonymus Remonstrans, cui in Thersite Heautontimorume no pag. 307. 308. 311. 314. 325. antehac respondi.

Porro veniam dabit lector, quod voces peregrinas suis quasque characteribus accurate descriptas non dederim. Nam præterquam quod typographus iis omnibus instructus non sit, speciem ostentationis hæc diligentia apud curiosos alienorum criticos effugere vix potuisset.

**

L 3

DIS

DISPUTATIO
THEOLOGICA
DE

HISTORIA

SACRA.

Resp. FRANCISCO BORSAI
DEBRECINO, Ungaro.

Ad diem 2. Martii MDC L.

§. I. **T**heologiam historicam, seu historiam ad studium & apparatus eruditionis theologice pertinentem voco *cognitionem singularium seu particularium ad universalem rerum sacrarum explicationem aut probationem facientium*. Estque ea, quod ad modum tractandi vel strictè dicta, vel latè & propriè dicta.

I. *Ill*a est *Exemplaris*, quæ consilia, dicta, facta Dei, aut Christi mediatoris, aut angelorum, aut hominum sub forma exempli ad salutarem imitationem recenset, exponit, applicat. Quod fieri potest, 1. *Coniunctim* cum systemate theologico seu locis theologis: aut omnibus, aut aliquibus selectis, sive moralibus juxta decalogum (Vide Ethicã Christianã Danæi, aliosq; decalogi practicos interpretes) sive controversis: in quo genere præiit Willetus in synopsi Papismi, sed anglice edita. 2. *Coniunctim* cū commentariis practicis seu concionatoriis aut formatis concionibus ad libros scripturæ aut ad selectos textus. Et hic specimen dedit laudatus modo Willetus in Epistolam Iudæ; ubi singulas doctrinas singulis exemplis illustrat. Conciones ad libros, capita,

pita, selectos textus scripturæ, editas, quæ tale quid præstant, hic non indico: pertinet enim ad apparatus concionatoriũ ; quem ex parte delineamus in Bibliotheca. 3. *Seorsim*, ad collectanea axiomatum practicorum. Vide axiomata Richteri. 4. *Seorsim*, ad titulos seorsim siue pro arbitrio siue ex systemate theologico (quo etiam refero ethicam, politicã, æconomicam) ordine collectos ac dispositos. Hic vide imprimis Theatrum Zuingeri; ex quo sua decerpfit Langius in polyanthea. Gruterus in sua polyanthea ex propria lectione plura addidit, quæ a Langio omissa. Magirus ex Langio & Grutero suam Polyantheam instruxerit. Vastum illud Theatrum Laurentii Beyerlinck hactenus non perlustravi: ita ut judicare nequeam, quid supra alios & quã bene præstiterit. Drauroultius Iesuita in suo catechismo historiali antiqua exemplorũ collectanea, in tenebris Papatus edita, cum omnibus fabulis satis exhaustit; ita ut hic unus instar omnium istius commatis, saltem instar indicis universalis, esse possit. Manlii collectanea sub titulo locor. comm. Theologicorum, quam plurima egregia exempla suppeditant, maximam partem ex scriptis & ore Melanthonis. Exempla ad titulos politicos, quæ magnã partem theologica axiomata & monita attingunt, collegerunt Lipsius, Elias Reusnerus, Picartus. *Apophtegmata* peculiari libro complexus est, post Erasmus, C. Lycosthenes. Eadem polyantheis suis inseruerunt autores modo citati. *Apophtegmata Christianorum seorsim* sed belgico idiomate dedit Wilh. Baudartius. Post quem nuperrime solorum Germanorum *Apothegmata Germanico idiomate* descripsit Wilhelmus Zinkgrefen I C. cui tertiam partem adjecit Leonhard. Weidnerus. *Emortualia*,
 L 3 quæ

quæ inter omnia exempla imprimis theologiã practicam non tantum, sed & elencticam illustrant, nondum satis plene à quoquam collecta memini. In controversiis Pontificiis prævit Willetus libro supra cit., ubi ad singula capita confert confessiones aut dicta martyrum. Plenam cornucopiam eorum expectabunt studiosi à Rever. & erudito quodam verbi ministro amico nostro, qui ex martyrologiis, vitarum scriptoribus, aliisque historicis quam plurima jam collecta ante 3. aut 4. annos mihi ostendit. Cujus laboribus Deus benedicat. Cum exemplis ad imitationem stimulantibus conjungi debent ea, quæ ad fugam mali proponuntur; & distincte *judicia Dei* dicuntur. De quibus considerandus textus 1. Corinth. 10. vers. 6. 11. Et Iesaiæ 26. vers. 9. in quem exstat meditatio Iohan. Bögermanni de Iudiciis Dei. Talia exempla seorsim collecta exhibet Honsdorfii & Loniceri *Theatrum judiciorum Dei*. Iohannes Chassanion simile quid præstitit tit. *Historia memorabiles magnorum & mirabilium judiciorum divinorum, &c.* Anno 1586. Gallice; quem librum interpres quidam Belgicus præterito autoris nomine (nescio quo errore aut consilio) Honsdorfio in fronte libri attribuit edit. Amstelædamensis apud Henr. Laurentium anno 1614.: cum tamen totus de verbo ad verbum ex libro Ioh. Chassanion translatus sit. Quod volui hic indicare: ne alii meo exemplo decipiantur, qui in prima editione disputat. nostræ de Atheismo ex dicta translatione Belgica de Bonaventura de Periers, & Iodelle Franchois ea notaveram, quæ tamen in editione latina theatri Honsdorfii & Loniceri cum postea quærerem, invenire non poteram. Sed cum aliquamdiu post Gallicum libellum Ioh. Chassanion

nion nactus essem, deprehendi verbis formalibus illa ibi expressa & inde in belgicum traducta, quæ frustra in Hondorfio quærebam. Scriptis Hondorfii & Iohan. Chassanion quodammodo affinis est libellus, cui tit. *Speculum tragicum*; in quo nonnulla Iudicia Dei in tragico virorum principum exitu referuntur. Circa theologiam hanc exemplarem, seu usum theologicum exemplorum duo imprimis observanda: quorum *Prius* est, de exemplis scripturariis, quæ scil. & quomodo ad demonstrationem theologiam adducenda: quod alibi in disput. de autoritate scripturæ, aliisque per occasionem determinamus. *Alterum*, de exemplis extra scripturam ex historia ecclesiastica, antiqua, media, nova & quamcunque humana autoritate cautè, cum delectu ac iudicio adhibendis. De quo in regulis de arte concionandi, quas publicis prælectionibus proponere solemus, aliquoties monuimus. De exemplis & Iudiciis Dei, vide 4. part. sel. disput. tit. de *Exemplo bono & imitatione* &c. & *De Iudiciis Dei*

II. Latè & propriè accepta historia theologica distinguitur in Ecclesiasticam, & scripturariam, seu sacram stricte sic dictam. De ecclesiastica (ad quæ refer politicam, naturalem &c. prout & quosque illæ ecclesiam & religionem attingunt) alibi egimus. De sola posteriori in præsentis nobis dicendum.

§ 2. Est autem *Historia sacra seu scripturaria*, quæ res singulares scripturis contentas cognoscit atque explicat. Ad hanc reducendæ sunt prophetiæ particulares de statu ecclesiarum, politiarum, populorum, &c. e. gr. Jeremiæ, Danielis, Apocal. & 2. Thessal. 2. &c. Distinguiamus eam secundum modum & methodum tractandi in textualem & systematicam. *Textualis* est, quæ

quæ scripturarum juxta seriem contextus. & N.T. historiam aut simpliciter explicat, aut insuper dubiorum & controversiarum enodatione illustrat. *Præ* dici posset catechismus historiæ sacræ: quippe quæ attenta & repetita lectione omnium librorum & capitum historicorum (inspectis subinde, ubi opus, notis marginalibus) à quibuscumque fidelibus & catechumenis acquiri potest & debet. Medium illi inserviens est exercitium & collegium catechizantium aut conferentium de illa historia, per interrogationes & responsiones. Erotemata cum responsionibus ab uno atque altero in Anglia edita ostendunt, quid pii & diligentes aliquot ministri ac patres familiarum istic conati sint. Quod nemo non, nisi profanus, probare poterit, & imitari desiderat. Vnum tamen re penitus considerata & bonâ ipsorum veniâ suggerere hic liceat: non esse responsiones catechumenorum ex editis libellis, aut præformatis verborum formulis desumendas ac reddendas, sed ex ipso textu biblico; quem rudiores, aut ingenio tardiores in ipso actu examinis inspicere poterunt, siquidem omnia tam firmiter memoriâ non teneant, aut expedite ex ea depromere queant. Placerent ergo mihi libelli plenam & nudam erotematum farraginem continentes, ad quorum inspectionem catechumeni legendo ac relegendo scripturæ capita, memata, versus in margine erotematum annotatos, responsiones suas concipere possent, & seipso ritè explorare, an jam ad omnia parati sint, an vero alicubi ipsis aqua hæreat. Tentavi hoc aliquoties in catechizatione historica, historiæ omnium fundamentaliû, & aliquot capitalium scripturæ (quas appellem historias fundamentales & capitales *max infra explicabitur*) & expertus sù conatû
hunc

hunc satis feliciter successisse: atque ita catechumenos nostros non distractos, nec à scripturæ litera abductos, sed potius ad eam quam maxime adductos, eidemque affixos fuisse. *Posterior* dici posset, erudita ac scientifica juxta ordinem textus sacri histor. earum sacram ex originalibus cognitio, & dubiorum ac controversiarum circa eam incidentium determinatio. Atque hæc rursus dividi potest in plenam & in accomodatam ac modificatam. *Ista* est, quæ coram promiscuâ fidelium & auditorum multitudine concionibus sacris ex textu scripturæ pro captu eorum, ad necessariam doctrinarum & usum explicationem exoterice docetur. De qua in regulis concionandi. *Illæ* est, quæ publicis lectionibus, exercitiis, collegiis, ac collationibus Academicis à literatis acroamata docendi ratione, aut eruditorum commentariorum scriptione ac lectione, docetur & discitur. Hic succurrunt commentaria nostrorum Calvini, Musculi, Martyris, Wolphii, Lavateri, Willeri, Riveti, &c. in varios V. T. libros histor.; & Broughtoni, Polani, Junii, Willeti aliorumque in Daniele; Kingi & Georgii Aboti in Ionam, anglice: nec non Pontificorum, Abulensis, Pererii, Serrarii, Lorini, A Lapide, Gasp. Zanchez, Ar. Montani, Masii &c. in N. T. libros hist., ex nostris Calvini, aut si mavis Marlorati (qui eum cum aliis conjunxit), Chytræi, Danei, Pelargi, Parei, &c. Ex Pontificiis Zanchez, Lorini, A Lapide, &c. Quibus jungendi, aut potius præmittendi (ubi controversia ventilanda, aut dubia solvenda) omnes notarum scriptores quos in disput. de Philologia sacra indicamus. Lectiones seu lecturæ illæ quales in Anglia coram auditoribus etiam non literatis vernaculo sermone institui solent, ad Academicas

M

lecto.

lectiones potius reducendę, quam ad conciones ecclesiasticas, aut catechizationes historicas: uti cuivis constabit, qui modo eruditissimas illas lecturas Kingi & Aboti in Ionam, aliorumque in libros scripturę dogmaticos, aut de locis communibus ac gravissimis controversiis Theologicis inspexerit. Huic historię in Academico cursu, aut post accurate cognoscendę, utile esset syllabum quęstionum circa minus obvia, & problematum controversorum, si quę ab interpretibus, aut elencticis scriptoribus moventur atque agitantur, atque adeo omnium, quę catechesin historicam transcendunt, ad manum habere; ut quisque inde cognoscere possit, quę illi penitus exeutienda, & quantum in iis expediendis profecerit aut non profecerit. Nos aliquem in privato collegio ad V. & N. T. historiã sacram moliti sumus, & discipulis tunc communicavimus. Dividitur porro & ecclesiastica & Academica historię sacrę explicatio seu cognitio in totalem, & partialem; & utraque rursus in continuã & eclogariam. *Continua totalis* est, qua secundũ ordinem librorũ scripturę relectio, meditatio, & explicatio ejus paragitur. *Continua partialis* est, qua unius libri historici e. gr. Genesios, Iosux, Iudicũ & c. Matthei & c. Actorum; aut unius fundamentalis historię (e. gr. de passione Christi) aut unius capitalis Historię (e. gr. de diluvio, de plagis Ægypti, & c.) descriptio continuata lectione & commentatione docetur & discitur. Vtriusque & totalis & partialis explicationis laudata exempla in bene constitutis ecclesiis satis frequentia sunt. *Eclogaria* est, quando selectę historię tum V. tũ N. T. pro ratione temporis, aut data occasione, aut proprio ac peculiari studio docentur ac discuntur. Potest autem

rem

tem hæc εκλογη variè institui, pro variantibus particularibus historiis. Sunt enim historiæ vel *fundamentales*, vel *capitales*. Illæ sunt, quibus tota doctrina salutis, & fundamentalia fidei dogmata superstruuntur: Quales e. gr. historia creationis, lapsus, Christi nativitatæ, circumcissionis, baptismi, passionis, resurrectionis, ascensionis, adventus ad judiciũ, missionis Spiritus S. Istæ sunt quæ imprimis admirandæ & notabiles, quod illustres divinæ providentiæ actus in judiciis, & benedictionibus suis contineant: quales e. gr. diluvii, divisionis Gentium & confusionis linguarum, Subversionis Sodomæ, vocationis Abrahami, plagarum Ægypti & exitus Israelitarum, Core, Datanis &c. Gideonis, Simsonis, &c. Et in N. T. Iohannis Baptistæ, pueritiæ Christi Luc. 2. ejusdem tentationis, transfigurationis, &c. Huc referri possunt omnia miracula Christi. Adde martyrium Stephani, Simonis Magi & Elymæ confusionem, conversionem Pauli, omniaque ipsius & aliorum Apostolorum miracula, Cornelii centurionis &c. Notabiles etiam sunt historiæ aliquot, vel propter mysterium, vel propter difficultates quæ circa earum intelligentiam à lectoribus moventur, vel propter utraque. Primæ & tertiæ exemplum dat historia Melchizedeki, secundæ historia Iephtæ: quam utramque Rever. collega noster Carolus de Maets tam plenè & solide omnium sententiis expensis, & ubi opus erat, refutatis explicatam dedit, ut duo illi tractatus pro modulo seu exemplari (absit invidia) acroamaticis historiæ sacrarum inquisitoribus esse possint. Est & alia sacrarum historiæ divisio ex subjecto seu objecto, quod alia sit naturalis, alia politica &c. Sed hanc ad thesim sequentem rejicimus.

M 2

Rur.

Rursum alia est divisio ex adjuncto, eoq; aut necessario aut accidentali. *Ex adjuncto necessario* historia aliqua est vel *monotopos*, vel *polytopos*. *Illam* sic voco quod uno in loco tantum referatur, nec alibi scripturæ ejus meminerint: qualis e. gr. confusionis linguarum, anniversarii miraculi sanationis in Bethesda Iohan. 5. historia adulteræ Ioh. 8. 9. conversionis latronis Luc. 23. Simonis Magi &c. & tales quamplurimæ in *V. T.*: *Istam* sic voco, quod pluribus locis in scriptura describatur, aut saltē indigitetur. *Prioris* exempla præbent Evangelistæ, quarum harmoniæ à Calvino, Osiandro, Iansenio Episcopo Gandensi, aliisque constructæ sunt. *Posterioris* quamplurima sunt exempla; uti colligere est ex locis concordantibus quæ in margine istarū historiarū (e. gr. diluvii, Sodomæ, plagarū, & Exitus ex Ægypto, Core &c.), aut à notarum scriptoribus annotantur. *Ex adjuncto accidentali*, distinguuntur historiæ sacræ in eas, quæ nullibi sive in totum sive ex parte comparent, præterquam in scriptura: Et in eas, quæ extra scripturam ab historicis, aliisque autoribus non scripturariis attinguntur. *Prioris* e. gr. sunt Bethesda Iohan. 5. mactatio Galilæorum Luc. 13. & aliæ complures, præcipuè in Novo Testamento: Nā *Vet. Testament.* historiæ pleræque à Flavio Iosepho & multæ à Philone, aliquæ etiam à scriptoribus Ethnicis referuntur. *Posterior es* sunt duplices: quæ directè, per se, & plenius scribuntur; & quarum alii scriptores etiam meminerunt: vel quæ tantum incidenter in scripturis referuntur, aut in enarratione circumstantiarū historiæ sacræ innuuntur, & quasi præsupponuntur; & quas extranei scriptores prolixius aut ex professo exponunt. *Illæ* sunt exempl. grat. historia creationis, lapsus, diluvii; Exitus

Exitus

Exitus Israelitarum ex Ægypto, Interitus Sodomæ, &c.; & in N. T. nativitatibus, vitæ, miraculorum, passionis Christi, &c. Huc referenda descriptiones propheticae in V. & N. T. quarum impletio ex historia profana discenda est. Etiam descriptiones personarum (e. gr. Noach, Iaphet, Cham, Moïsis, Iosua, Esther, &c.) quorum nomina apud extraneos scriptores leguntur: & locorum, ut Palestinæ seu Iudææ, Samariæ, Idumææ, Hierosolymæ, Iordanis, Libani, Maris rubri, Maris mortui, &c. *Istæ sunt, e. gr. Occupationis imperii Chaldaici & Babylonici per Persas & Medos Danielis 5. & 6. Interitus Seunacheribi Ies. 37. dogmatos & apographes Augusti Luc. 2. Exilii Iudeor. sub Claudio Act. 18. &c. aliæq; rerum gestarum narrationes.* Ad quas reducere possumus omnes introductas personas, ut Cyri, Darii, Augusti, Tiberii, Claudii, Herodum, & loca, ut Tyri, Ninives, Babel, Romæ, Ephesi, Dianæ, Corinthi, Euphratis &c. aliæq; sexcenta ex autoribus infra thesi 4. cit. colligenda. Omnia hæc historica à scriptura *ἐν παροῖς* attinguntur, aut duntaxat indigitantur, aut nominantur: sed eorum propria & plena explicatio apud alios autores requirenda est. Idem censendum est de involutis antiquitatibus, tum Iudæorum, tum quorumcunq; Gentilium (Ægyptiorum, Syrorum, Græcorum, Romanorū &c.) quas in explicatione vocū, phrasium, adagiorum &c. sacrorum, ex scriptoribus extraneis evolvendas ostendimus in disp. de Philologia sacra: ubi vide. Sunt autem illi partim Iudæi, partim Ethnici, partim Christiani; iiq; aut veri autores antiqui aut supposititii, aut aperte uovi. I. Iudæi sunt Flav. Iosephus, Philo Iudæus, Thalmudici, & scriptores chronicorū, II. Gentiles sunt I. Quorum scripta inter-

ciderunt; quos Fl. Iosephus, Iustinus Martyr, Eusebius Cæsariensis in præparat. & demonstrat. Evangelica, alique patres in scriptis contra Gentiles adducunt. 2. *Quorum* scripta etiamnum exstant: & ab Eugubino in perenni philosophia, imprimis & expresso à Daneo in antiquitatibus primi mundi citantur, & passim in commentariis & notis ad scripturam. 3. *Quorum* scripta sunt supposititia, ut larvati istius Mercurii Trismegisti; & bona pars Oraculorum Sibyllinorum: de quibus alibi dicendum: & Manethonis, Berosi Chaldæi &c. De quibus vide Scaligerum in Eusebianis, & Possevinum in appar., & Melch. Canum lib. II, locor. theol. III. *Christiani antiqui*, quorum scripta genuina, sunt imprimis Apostolorum temporibus magis vicini, qualis e. gr. Iustinus Martyr, ex quo historiæ supplementum de Christi arte & opère fabрили adferri solet. Illos, sed longe post, excipit Eusebius in histor. ecclesiast., apud quæ Egesippus, aliaq; antiquit. monumenta adducuntur, Egesippus seorsim editus cum notis Cornelii Gualteri. Deinde Sulpitius Severus, Paulus Orosius, Cassiodorus, Beda &c. IV. *Christiani antiqui*, quorum scripta supposititia sunt, ut Abdixæ Babylonii, Clementis Romani, aliorumque, à Coco in censura, & Riveto in Critico sacro notatorum; ex quibus Pontificii historiam sacram subinde illustratum eunt. V. *Christiani novi*, quales Petrus Comestor in historia, Vincentius in speculo historiali, alique historici & chronologici minorum Gentium. Sed imprimis notandi Bonaventura & Ludolfus de Saxonia de vita Christi, & Legenda aurea. VI. *Recentissimi*, Salianus, Torriellus, nec non A Lapide, Serrarius in comment. & prolegomenis ad varios scripturæ libros, histo-
riam

riam V. T. ; & Baronius, in annalibus, Corn. à La-
pide in commentar. ad Euangelistas, Acta &c. &
Vitarum scriptores, Lipomanus, Surius &c. & Xa-
vierus in vita Christi & Petri; & Sanctarellus in vi-
ta B. virginis, aliique complures ab Alegambe in
bibliotheca p. 509. recensiti historiam N. T. par-
tim explicant, partim suppleant. Baronii censuram
ex professo suscepit Casaubonus, Montacutius, Jac.
Capellus; Xaverii, Ludov. de Dieu. Historiæ V. T.
additiones, relationes, explicationes (quarum non
paucæ sunt meræ corruptiones) tum Gentilium, tum
Rabbinorum & Flavii Iosephi, Christianorum, no-
tarunt Grotius in notis ad V. T., Drusius in notis
ad libros historicos V. T. & ad Sulpitium Severum;
Hornius ad eundem, qui subinde Alcoranicas fa-
bulas & corruptelas confert. Sunt ergo tredecim
in universū scriptorum genera extra scripturam, qui
cum historia sacra conferri possunt, sive ut aliquas
in apparatu explicationis partes teneant, sive ut re-
futentur aut rejiciantur. 1. libri *Apocryphi*, quo-
rum iustum examen habes apud Raynoldum: qui
conferri potest cum commentariis in illos libros à
variis conscriptis; quorum præcipuos nominamus
in Bibliotheca nostra. 2. *Flavius Iosephus*; & *Philo
Iudæus*; quamvis hic nullomodo cum priori confe-
rendus, quippe rerum suarum ignarus. 3. *Rabbini,
Thalmudici*, eorum historici, chronologi, topogra-
phi. Inter eos Ioseph Ben Gorion à Munstero, Ben-
jamins Tudelensis à Const. L'Empereur, David
Gans à Gul. Vorstio, notis adjectis subinde exami-
nantur. 4. Historici & scriptores *Samaritici*: si qui
exstent præter chronicum illud ineditum, quod ad-
ducitur ab Hottingero in Exercit. Anti-Morianis.
5. *Gentiles* tum historici, tum mythologici. 6. *Al-
coranici*.

coranus, & interpretes ac theologi Alcoranici. 7. Historici & Chronologici *Arabum*, *Persarum*, &c. qui religioni Mahumedicæ addicti fuerunt. 8. Historici & scriptores *Christiani* antiqui tum commentatores, tum polemici contra Indæos & Gentiles: quos passim in commentariis recentiorum indicatos invenies. 9. Historici & scriptores *mediæ ætatis*. 10. Historici & scriptores *novi*; quorum aliquos modo notavimus. 11. Historici *Pontificii*, & scriptores tum commentatores tum polemici *recentissimi*. 12. Historici ac scriptores *protestantes* & *reformati recentissimi*. 13. Historici, & scriptores tum commentatores, tum polemici, Sociniani, Anabaptistici, Remonstrantici, Enthusiastici aut Semi-Enthusiastici, seu Libertinici, Neutrales, Sceptici aut semisceptici, dubiæ theologiæ consecrandi. In postremo hoc ordine Grotius vir multiplici eruditione excellent. : qui notas ad scripturam & ad libros suos de Veritate religionis, & de Iure pacis ac belli edidit. Aliquam etiam literaturæ græcæ & latinæ doctrinam contulit Seb. Castellio : cujus exstant dialogi sacri, & notæ in Biblia.

§. 3. *Systematica* seu syntagmatica est, quæ historiam *V.* aut *N.T.* aut utriusq; secundum seriem temporis aut contextus sacri, aut utriusque explicatam exhibet. Dividitur ea in totalem & partialem. Totalis est quæ universam historiam ex professo proponit, idque vel plenius, vel contractius. Plenior est vel *didactico-polemica* vel didactica. Illa est quæ non tantum res gestas cū circumstantiis simpliciter explicat, sed & dubia, quæstiones, controversias incidentes aut agitas determinat. In hoc genere celebres sunt annales Saliani, quorum epitomen ipse postea edidit, & historia Torielli; & historia sacra
ac

ac profana Iac. Capelli ab Adamo usque ad Augustum: ubi Salius & Tornicellus sæpe ad examen revocantur. *Ista* est, quæ quæstiones & controversias ex professo non tractat; sed tantum res gestas explicat. Hic excellit chronicon Melanthonis ubi & pia monita prudentiæ theologicæ & politicæ subjiciuntur. Post illum similes historias edidit Pezelius ad Sleidani monarchias, & Cluverius. Ex antiquis celebris est Sulpitius Severus; sed qui etiam ad contractiores referri posset. Ad eum commentati sunt Sigonius, Ioh. Drusius, Georg. Hornius, Christ. Schotanus. *Contractior* est, quæ aut synopticè, aut per modum indicis chronologici gesta sacra proponit. *Prioris* exempla dant historiae Phil. Glaseri, Gutberlethi &c. *Posterioris*, variæ chronologiæ, inter quas videntur mihi studiosorum usibus commodissime inservire Calvisii & Helvici; quarum illa *kata bathos* (ita loqui liceat) hæc *kata platos* procedit, & synchronismos omnes oculis inspicientium subjicit. A synopticâ aliqua e. g. Sulpitii, aut pleniori, e. gr. Melanthonis si quis initium facere voluerit, & per didactico-polemicam transire, in his duabus memoriæ juvandæ causa tandem conquiescere, & ad easdem perpetuo recurrere poterit, siquidē rei gestæ, aut personæ non ita meminerit; præsertim, cū indicibus locupletissimis instructæ sint. Inter antiquos chronologos celebris est Eusebius; per editorem & commentatorem suum Scaligerum magis celebratus. Didici ex Bibliotheca Phil. Alegambe, editas esse ab Adriano Crommio Societ. Iesu Theologo theses theologicas ad omnes fere libros historicos V. T. Sed hætenus exemplar non obtigit; ita ut de methodo & modo tractandi nihil judicare possim. Quod si dubia & controvers. omnes ordine

N

plenius

plenius aut contractius determinarit, utique opera ipsius historiae sacrae studiosis non inutilis, saltē nostris imitanda & perficienda esset. Et hæc quidem de systematica totali. *Partialis* est, quæ partem aliquā historiae sacrae explicat sive continuata serie, sive per saltum aut eclogarias quæstiones ad difficiliora aut magis controversa in eadem occurrentia. Hæc rursum dividi potest, vel secundum sectiones librorum aut temporū, vel secundum certum quoddam *γενος υποκειμενον*, seu generalia quædā objecta. *Prior* est, quæ alicujus libri aut librorum, aut etiam sectionis libri, aut temporum res gestas complectitur. Sic e. gr. historia ecclesiae ante legem quæstionibus illustrioribus propositis & enodatis explicatur à Jacobo Bolduc Capucino Parisiensi, tit. *De ecclesia ante legem libri tres*. Idem in historia sub Iudicibus, aut sub Regibus, aut contentā Exodo & libris seqq. Pentateuchi, aut solo libro Iosuae, aut Iudicum, aut Samuelis, Regum, aut Esrae & Nehemiae, aut sola historia N. T. præstari posset; aut etiam in particularibus historiis sive fundamentalibus, sive capitalibus. *Posterior* est, quæ res gestas, aut personas, aut circumstantias locorum, & temporum uno genere subjecto contentas, uno syntagmate vel in totum vel ex parte cognoscendas & explicandas sibi sumit. Et hæc distingui potest, in divinam proprie sic dictam, Pneumaticam, naturalem, humanam seu politico ecclesiasticam, ad quam refer æconomicam. *Divina* proprie & strictè sic dicta est quæ syntagmaticè confert, explicat & cognoscit, actionis Dei circa mundum & res humanas, imprimis extraordinarias & miraculosas, sive ad benedictionem sive ad maledictionē, quas & quousq; scriptura eas recenset. Et hæc historia locis communibus theologici-

qui-

quibusdam commode inseritur: quamvis etiam peculiaribus tract. de miraculis, de judiciis Dei, de pœnis peccatorum, de persecutionibus ecclesiæ, de liberationibus ecclesię, de vaticiniis seu prophetia &c. exhiberi possit.

Pneumatica est, quæ particularia dicta & facta angelorum tum bonorum tum malorum ex scripturis cognoscit, explicat, colligit.

Naturalis est, quæ rerum naturalium singulares dispositiones, actiones, passionis, ex scripturis cognoscit. e. gr. mutationes circa solem, circa elementa aquæ, terræ, aëris; & elementata, meteora scilicet fossilia, vegetabilia, animalia. Huc faciet Francii tract. de animalibus scripturæ, & Bustamantini de insectis, Lemnii de herbis, Ruei de gemmis, & topographorum sacrorum, qui & quousq; loca naturalia, non arte facta, in terra & mari describunt. Sed hæc etiam ad Philosophiam sacram referri possunt.

Humana, seu politico ecclesiastica est, quæ res gestas tum ecclesiæ, tum politiæ primum divinæ, deinde & extraneorum ex scripturis describit. Ad hujus illustrationem faciunt scriptores de Republ. Hebræorum, Sigonius, Bertramus, Zepperus, Cuneus, Menochius. Quibus adjungi possunt scripta Seldeni, Schichardi, L'Empereur &c. in disp. de Philolog. sacra indicati. Specialiter hic occurrunt cognoscenda bella, & persecutiones in scriptura recensitæ. Continentur autem sub historia sacra ecclesiastico-politica, aut ei subordinantur, aut ad eam referuntur prosopographia, sub qua genealogia sacra; pragmatographia; chronographia, sub qua de annis, mensibus, aliisq; temporum differentiis apud Hebræos, & vicinos Orientales; topographia, sub

qua architectonica specialis, seu historica.

Prosopographia syntagmatica est, vel universalis vel particularis. *Illa* est descriptio omnium personarum, saltem illustrium, quæ in scriptura memorantur. Et talis data est à Cassandro & Ioach. Perionio & L. Ballester in Onomat. *Ista* est, qua personæ aliquot e. gr. 12. patriarchæ, 12. apostoli, Reges Iudæ &c. aut una persona illustris describitur; idq; aut breviter seu summarie per causas & præcipua adjuncta; aut plenius per omnes res gestas. Exemplum dedit Scultetus in Iohanne Baptista; Cor. à Lapide in Paulo. Plenissimæ explicationis, & in omnium sententias ac incidentes controversias inquisitionis exempla habes in Ioh. Pinedæ libris 8. de rebus Salomonis, & Serrarii Iosua quem commentariis ad illum librum præmisit, & in Rev. collegæ nostri D. Caroli de Maets Melchizedeko. In Noachò, Abrahamo &c. Mose, Arone, Simone, Samuele, Davide &c. Maria, Iohanne, Petro &c. simile quid exercitii causa historiarum sacrarum studiosi imitari possent. De Ludolfi, Bonaventuræ, Xaverii vita Christi, & hujus vita Petri &c. supra quid monuimus. Exempla disquisitionum de certis adjunctis & rebus gestis illustrium aliquot personarum exhibuit H. Ravenspergerus in disp. de Adamo prospero, Adamo misero, Abrahamo milite, Isaacò hærede, Iacobo exule, Iosepho præfule.

Genealogia est, quæ describit personarum familiam, h. e. cognationem & affinitatem per ascendentes, descendentes, collaterales. Hic inter alios utilissimam operam præstitit Lavaterus in commentar. ad libr. 1. Paralip., & post illum anonymus, cujus plenissimæ tabulæ genealogicæ anglice variis formis editæ, cum bibliis istius linguæ plerumq; compinguntur solent.

solent. Disquisitiones circa genealogias post dilu-
vium Gen. 10. incidentes, require apud commentato-
res, & Geographiæ sacrae scriptores. Circa genea-
logiam Christi disquirunt commentatores ad Math.
1. Gomarus libello peculiari, Broughtonus libello
de familia domini, sed anglice, idemq; in commen-
tar. in Daniele, & in epist. ad R. Abraham Ruber
archisynagogum Constantinopolit. hebr. & lat.

Pragmatographia, continet peculiarem descriptio-
nem rerum in historia sacra politico-ecclesiastica
occurrentium. Res illæ sunt vel naturales (de qui-
bus supra in historia naturali) vel arte factæ aut ex
Dei, aut hominum arbitrio sic institutæ. Huc perti-
nent tract. de nummis, ponderibus, mensuris, Wa-
feri sc., Jac. Capelli, & Ariæ Montani lib. 7. antiquit.
cui tit. Thubalcain. Quibus adde Scaligerum &
Willebrord. Snellium de nummis; ut alios alibi ex
parte indicatos nunc præteream. Eodem referen-
dus lib. 7. Ar. Montani de sacris vestimentis, orna-
mentisq; tit. Aaron. Nec non ritus politici, œcono-
mici &c. extraneorû ritus ecclesiastici, aut pseudo-
facti qui in histor. sacra observantur; quorû aliquos
congestit Arias in lib. 8. tit. Ieremias. Sed plures
addi possent. Nec prætereunda instrumentorum
bellicorum, nauticorum, rusticorum &c. descriptio.
Ut nec templorum, altarium, excelforum, aliorum-
que ædificiorum, de quibus etiam infra in topogra-
phia. Ad hanc syntagmatis partem reduci potest,
de vectigalibus & tributis tum profanis, tum sa-
cris, primitiis scil., decimis, anathematis, &c.
de quibus in disput. de stipendiis ministrorum, &
de temporalibus Ecclesiæ. *Chronographia* est, quæ
rerum gestarum tempora notat, atque inter se
confert. Huc pertinet Ariæ Montani Lib. 9.

tit. Daniel, aliique chronologi sacri quamplurimi, quorū magnam partem in Bibliotheca indicamus. Controversias omnes ad textum scripturæ motas, & conciliationes *enantiophanon* post multos alios ex Pontificiis expedite conatur Henr. Philippus; cum quo conferri potest ex nostris Pareus in chronolog. posthuma non ita pridem in Belgio edita. Intervit chronographiæ Computus seu Kalendariū, & disquisitiones de variis annorū ac mensū formis, deniq; omnibus technologicis ad chronologiam pertinentibus: de quibus videndus Scaliger in canonibus Hægogicis. Addat, cui vacat, libros de Emendat. temp. cum Antagonistis, quos nactus est, Lydiat, Clavio, Petavio, &c. Lalamanium, Munsterum aliosq; in Bibliotheca ante hac notavi. Illis addendus, qui nuperrime prodiit, Seldenus de anno Hebræor. *Geographia & Topographia* est, quæ terræ marisq; situs in genere, & locorum particularium tum naturalium tum artificialium constitutionem ex scripturis describit. Huc facit Ar. Montani lib. 1. 2. 3. Adrichomii (post multos alios, qui ab ipso indicantur) descriptio terræ sanctæ; & nuperrime edita geograph. sacra Sam. Bocharti. Specialiter historiæ sacre studiosis consideranda topographia Paradisi Gen. 2, Orbis terrarum, ejusq; partium situs, & distributio ex Gen. 10.; Terra promissa, ejusque partitio per Gentes, antiquos ejus incolas, & per tribus Israel, ex libro Iosua. Judea seu Palestina, uti habitata & constituta erat tempore Christi & Apostolorum; Situs antiquæ Hierosolymæ, & ædificatio novæ, ex Jud. 1. & 19. &c. & libro Nehemiæ, (Hic succurrunt, Adrichomius l. c. Ar. Montanus lib. 4. & Lud. Capellus in historiæ mellificio Camer. edita); Peregrinatio seu *itinerarium* Pauli, ex Actis a-

post-

postolicis; imprimis ejusdem navigatio Act. 27.28. ubi multa ad *hydrographiã* & *nauticam* pertinentia occurrunt. Orontius Finæus olim Mathemat. Professor Parisiensis edidit *Peregrinationem Pauli*: ubi ex professo chorographiam scripturariam delineat. Ad apparatus topographiæ sacræ referendi illi commentatores, qui ex professo aut studiose hoc agunt, e. gr. Corn. à Lapide, cum Pererio Serario, Lorino, Casparo Zanchez ad loca modo cit. Adde imprimis mappas geographicas ante paucos annos Amsteldami à Nicolao Vischero cum brevī descriptione sic editas ut seorsim haberi, aut Bibliis in fol. suis quæq; locis inseri, aut cum iis compingī possint. Ex Iudeis R. Isaac Zaddik ibidem ante annos aliquot mappam terræ sanctæ hebraice publicarat, cum subjecta descriptione Belgica. Quod ad alias gentes extra populum Dei, earumq; sedes, limites, migrationes, confusiones linguas, mores &c. de iis ex locis scripturæ, ubi memorantur, ut Gen. 10. 11. 13. 14. 36. Deut. 2. 3. Iud. 11. &c. collatis comment. ad loc. cit. & scriptoribus extraneis, cum Wolph. Lazio de migrationibus Gentium, nec non Bocharti Geographia sacra, & Thesauro seu dictionario Geographico Ortelii, commentatio institui potest. Sed oblitus sū inter capitales topographias referre celebre *hodovanicum*, seu peregrinationem Israelitarum in deserto, de qua ex libro Numeror. imprimis cap. 33. & Deut. 2. 3. Torniellas, qui etiam stationes, & formam tum castrametantis tum proficiscentis exercitus (de qua Num. 1. & 2.) tabellis delineatā exhibet. Confer commentaria à Lapide; etiam, si vacat, Ioh. Lorini istarum rerum curio si indagatoris, in Numeros & Deuter. *Architectonica sacra* est, quæ agit de formis & fabricis castrorum, pala-

latiorum, templorum, columnarum, paradisorum, hortorum &c. ad hæc utensilium tam sacrorum, quam profanorum; nec non partium ad utensilia & ædificia (vide Matth. 4. Act. 1. 10. 12. & 2. Sam. 11. 17. & Ios. 6. &c.) pertinentium. Imprimis consideranda fabrica arcæ Noachicæ, tabernaculi, templi, regię Salomonis, & domus saltûs: de quibus omnibus Ar. Montanus lib. 5. De arca Buteo peculiari libello: ex quo Pererius & à Lapide in commentariis. De Templo eiusque utensilibus Ribera libris quinque de Templo. Villalpandus & ex illo à Lapide in Ezech. 40. 41. 42. & novissime ex Iudæis R. Leon Iuda, qui belgicas tabernaculi & templi descriptiones edidit, & utriusque parvam formam in materia vulgari, secundum proportionem geometricè mensuratã, per Belgium nostrũ spectandã circumtulit. Librum Thalmudicum *Middot* cum comment. L'Empereur, aliosque autores ad templi & utensilium explicationem facientes indicamus in Disp. de templis. De utensilibus tabernaculi & templi Ar. Montanus lib. cit.; sed de vestibus sacris seorsim, libro 6.

§. 4. *Miscellanea seu eclogaria* historię sacre explicatione est, quę partium aut particulatum, personarum, circumstantiarum quarundam investigationem decerpit. Quod fieri potest vel ex professo, per quæstiones aut observationes selectas, & seorsim editas; vel aliis libris & tractatibus miscellaneis insertas. *Prioris* exemplum habes in Nierenbergii libris duodecim de origine scripturę: sed ubi non pauca inepta admiscet. *Posterioris*, primum in notis & disquisitionibus textualibus ad loca selecta scripturę, deinde & in Fulleri miscellaneis, Petiti eclogis chronologicis, &c. Filefaci selectis, aliisque autoribus

Philo-

Philologis sacris, profanis, mixtis in disp. de Philologia sacra notatis. Vbi imprimis emicant, qui de Republ. Hebræorum, in genere, & in specie de jure regio, de sacrificiis, de conjugis & divortiis, de sacerdotio, de synagogis, scholis, sectis (Scaliger, Drusius, Serrarius, & vulgares hæreseôn scriptores) de tota lege ceremoniali, & forensi Mosaica, (Becanus tract. peculiari, Zepperus de legibus Mosaicis &c.) aut de quibusdam partibus earundem disquirunt. Scaligeri libros de emendatione temp. & castigationes Eusebianas (cui Petavius 2. tomos de doctrina temporum opposuit) supra designavi. Adde solummodo Melchioris Cani lib. II. locorū, ubi historiam sacram tangit. Atq; hæc de ratione, usu, studio, apparatu historię sacrę, introductionis aut prologemenōn instar hætenus dicta sunt.

Institueram initio specimina aliqua quæstionum & disquisitionum ad historiam sacram adjicere: sed quia chartæ & expensarum ratio habenda est: in aliud tempus ea reservo. Tantum hæc paucula problemata, sed nuda, alias vestienda nunc propono.

I. Probl. An conferre liceat historicos aliosque scriptores profanos, aut quoscunq; non autenticos, ut Patres gr. & lat. præsertim historię sacrę & profanę studiosos, cum historia V. & N. T. *Resp.* Aff. cum ipse Deus in scripturis historias aliaque scripta extranea indigitarit.

II. Probl. An scriptores Iudeorum cum antiquitates, res gestas, aut circumstantias præter verbum Dei referunt, fide divina, an vero tantum humana recipiendi sint. *Resp.* N. pr. *A.*

III. Probl. Idem quæro de antiquissimis scriptoribus Gentilium? *Resp.* idem.

IV. Probl. Et de historicis ac scriptoribus Christianis. *Resp.* idem.

V. Probl. Cum circa historiam sacram absurda, aut

O

aristhans

akithana dicunt, quibus illa non illustretur, sed de-
formetur potius atque obscuretur, an fides humana
illis adhibenda. *Resp.* Neg. VI. *Probl.* Quomodo
ergo à patribus & recentibus scriptoribus, talia di-
cta Judæorum & Gentilium subinde ad probationē
contra adversarios adhibentur. *Resp.* Tanquam te-
stimonia & argumenta ad hominem; non tanquam
directæ demonstrationes, quibus genuinus sensus
scripturæ & veritas fidei suaderi aut defendi possit.
VII. *Probl.* An & quam certitudinem in demon-
strationibus theologis habeant historiæ humanæ,
experientiæ, observationes, testimonia, quæ facta
& impletionem docent eorum, quæ in scripturis
prædicuntur e. gr. in Daniele, aliisque prophetis,
Matth. 24. 2. Thessal. 2. Apocal. 13. & 17. &c.
Resp. Dist. VIII. *Probl.* An aliqua certitudo ex
erutis nummis aut utensilium reliquiis & fragmen-
tis, aut lapidibus, aut sepulcrorum & ædificiorum
rueribus, in genuinæ historiæ sacre explicatione
quæri aut haberi possit. *Resp.* Neg. contra Ponti-
ficios, aliosque istorum nimios admiratores. Quam
variæ & multiplices officinæ hic intercedant, notum
est; & candide uno insigni exemplo docuit eximi-
us antiquarius & philologus Laurentius Pignorius,
in epistolis pag. 146. Confer 4. part. select.
disput. tit. de falso.

A P P E N D I C V L A

Ad Disp. de Philologia & Historia sacra.

POST annum 1650., quo Disp. illas scribebam,
libri aliqui prodierunt, aut antea forte editi, tunc
primum mihi lecti, ut inspecti fuerunt; aut quamvis
noti mihi tunc in mentem non venerunt: Philologiæ
& Historiæ sacre Studiosis hic eos indico,

Johan-

- I**ohannis Leusdeni *Jonas*, cum paraphrasi Chaldaica, Masora magna & parva, commentariis trium Rabbidorum punctatis, & notis Philologicis 1656. in 8.
- Ejusdem* *Ioel*, cum paraphrasi, Masora utraq; trium Rabbidorum commentariis, & notis Philologicis anno 1657. in 8.
- Ejusdem* *Philologus Hebræus*, cum 613. præceptis hebr. & lat. anno 1656. in 4.
- Ejusdem* *Philologus Hebræo-mixtus* 1663. in 4.
- Ejusdem* *Onomasticon sacrum* 1665. in 8.
- Ejusdem* *Capitula patrum* hebr. lat. cum notis &c. 1667. in 4.
- Ejusdem* lemmata marginalia, & prologemena bibliis hebraicis accuratissimè à Iosepho Athiâ Amstelodami 1667. excusis addita.
- Wilhelmi Pemble* *periodus Monarchiæ Persicæ*, ubi loca Danielis, Ezræ, Nehemiæ illustrantur, ex scriptis Ioh. Raynoldi, Anglicè 1631. in 4.
- Michaelis Waltheri* tract. de Manna 1633 in 8.
- Edmundi Castelli* *Oratio*, Cantabrigiæ habita, ubi usus linguæ Arabicæ tum in aliis scientiis, tum in interpretatione scripturæ, ostenditur. 1667. in 4.
- Ioh. Seldenus* de successione in bona defuncti, & in Pontificatum Ebræorum 1636. in fol.
- Ioh. Buxdorfii fil.* dissertatio de sponsalibus & divortiiis, cum Abarbaneelis diatribâ de pœna excidii 1652. in 4.
- Tractatus Thalmudici Schabat & Erubim*, cum commentariis Maymonidæ & Bartenoræ, in latinum translatus à Sebast. Schmidt, 1661. in 4.
- Martini Geyeri* commentar. in Ecclesiasten: ubi multa ad Philologiam sacrâ pertinentia; uti in dictionum hebraicarum copiosius evolutarum sub-

jecto indice, uno quasi obtutu videri poterit.

1653. in 4.

Ioh. Henr. Hottingeri de usu linguarum Oriental. in rebus sacris, seu Smegma Orientale. 1658. in 4.

Ejusdem Bibliotheca Orientalis. 1658. in 4.

Ejusdem de cippis hebraicis, variis Orientis monumentis &c. & de nummis Oriental. 1662. in 8

Iacobi Vsseri Armachani de 70. Interpretum versione syntagma cum libri Estheræ editione Origenicâ, & vetere græca altera. 1655.

Sam. Bocharti de animalibus script. in fol. anno . . .

Ioh. Pricæi commentarii in varios N. T. libros (quorum aliqui seorsim antea editi) & annot. in Psal. 1660. in fol.

Ioh. Buxdorfii fil. dissertationes Philologico-theologicæ, & dissertationes aliquot R. Isaaci Abarbanelis 1662. in 4.

Ioh. Henr. Hottingeri Historiæ creationis examen philologico-theologicum. 1659. in 4.

Ejusdem Enneas dissertationum philologico-theologicarū & compend. theol. Iudaicæ, 1662. in 4.

Ejusdem Dissertationum theologico-philologicarum fasciculus, de resurrectione, de notis ecclesiæ, de translationibus Bibliorum. 1660. in 4.

Prolegomena & appendix Bibliorum polyglott. Londinensium

Ioh. Oweni de divina script. origine &c. & vindiciæ puritatis & integrit. textuum original. c. prolegom. & append. bibl. polygl. Lond. angl. 1659. in 8

Ejusd. de theologiæ ortu, progressu &c. ubi quamplurima ad philologiam & historiam sacra pertinentia. 1660. in 4.

Ioh. Lightfootū horæ hebr. & Thalmud. in chorogr. terræ Israeliticæ & Euangel. Matthei, 1658. in 4.

Johan. Caspari Suiceri observationum sacrarum liber singularis 1665. in 4.

Johannus Vorstii de hebraisims novi testamenti, anno 1665. in 4.

Zacharie Bogan Homerus & Hesiodus Hebraizantes 1658 in 8.

Danielis Fesseli adversar. sacr. libri quinque; 1650.

Arnoldi Bootii vindiciæ textus hebr. c. Morinum & Capellum 1653. in 4.

Ejusdem de textus hebraici certitudine contra Lud. Capelli criticam 1650. in 4.

Ant. Hulsii authentia text. hebr. vindicata &c. 1662.

Regn. Vogelsangh in Exercitationibus theol. exercit. 7. & 8. de integritate script. &c. & de translatione 70. Interpretum. 1665. in 4.

Christ. Schotani exercitationes ad Sulp. Severi histor. & historiam V. T. per partes, editæ 1663. in fol. interjecto textu Sulpitii. Qui antea cum comm. editus fuit, à Ioh. Drusio, C. Sigonio, G. Hornio.

Ioh. Henr. Heideggeri exercitationes de historia sacra patriarcharum 1667. in 4.

Ioh. de Pineda de rebus Salom. lib. 5. anno . . . in fol.

Christ. Wascwitz Exercitatio philologico-theologica de Iohannis Bapt. vita & rebus. Specimē est plenissimæ prosopogr. constans c. 68. A. 1658 in 4.

Martini Lipenii Navigatio Salomonis Ophiritica, ubi specimen plenissimæ praxigraphiæ specialis. an. 1660. in 16.

Ioh. Buxdorsii fil. Exercitationes ad historiam arcæ, ignis sacri, Vrim Thummim, Mannæ, Petræ, Serpentis ænei. 1659. in 4.

Andreæ Bayli theologi Glascuensis, chronologia sacra, cum quæstionibus & controversiis eò spectantibus, 1662. in fol.

Ioh.

110 I N T R O D U C T. A D

Joh. Hoornbeeck, disputationes de Crucifixione Christi, anno 1653.

Idem anno 1653. disp. edidit, An Iudas cœnæ fuerit particeps.

Petrus Ravanelius in Bibliotheca satis nota topographiam & prosopographiam dedit; sed pliniorem Ierusalem, Babylonis, Tyri, Abrahami, Davidis.

Anonymus quis, cum tract. in 4. Leidæ anno 1654. edidisset, in quo homines Præ-Adamitas, demonstrasse se putabat; opposita est illi

Johannis Hilperti disquisitio de Præ-Adamitis anno 1656. in 16.

Et alia theologi cujusdam Sorbonici in 16.

Et Georgii Csipkes Comarini Professor. in Illust. Scola Debreciana, Disp. de universalitate diluvii Noachici; mense Octob. 1656. in 4

I N T R O D U C T I O
A D

PHILOSOPHIAM

S A C R A M.

Resp. D A N I E L O S U A V I O

Agathæ-Kerckâ Zelando.

Ad diem 7. Julii M DC LI.

Cap. I. *De philosophiâ sacrâ textuali.*

Philosophiam sacram vocamus omnem cognitionem materiarum, & quæstionum, quæ partim à Theologis ex professo tractari solent, partim in scripturarum aut locorum communium & quæstionum theologiarum explicatione attinguntur; & vel

vel propriam sedem in philosophica aliqua disciplina habent, vel saltem communiter ibi tractantur. Philosophiam hic latè accipimus, ut etiam Medicinam, Iurisprudentiam, Politicam, aliasque artes, quæ philosophiæ quasi usus & applicationes dici possunt, ambitu suo complectatur. Eam melioris doctrinæ causa distinguemus in textualem, & in theologiam. *Textualem* dicimus cum descriptio aliqua, aut assertio, aut distinctio, aut terminus Philosophicus in scripturis occurrit.

I. *Descriptiones* sunt vel rerum quarundam in genere, vel rerum singularium. *Illarum* exempla occurrunt Iobi 40. & 41. ubi cetus & elephas & Iobi 38. ubi maria describuntur. Quo etiam referri potest descriptio cursus solis Ps. 19. *Rerum singularium descriptiones*, vide Genes. 2. paradisi, Genes. 6. arcæ, Exod. 16--40. tabernaculi, 1. Reg. 6. templi, Act. 27. ubi navigatio Pauli, & Matth. 27. ubi obscuratio solis.

II. *Assertiones seu theses*, sunt vel generales, quæ præstant axiomata seu propositiones majores: vel magis speciales. Exempla sunt Eccl. 1. omnia flumina in mare currunt &c. Ephes. 5. v. 13. omne quod detegitur lux est. 1. Cor. 15. alia est caro piscium &c. Ioh. 12. Nisi granum tritici in terram cadens moriatur &c. Matt. 5. 14. non potest civitas occultari. Ies. 49. an potest mater oblivisci &c. Act. 20. beatius est dare, quam accipere. Eph. 5. Nemo odit propriam carnem. Cant. 8. amor fortis, ut mors. 1. Cor. 14. 10. *Multa &c. genera vocum in mundo, & nulla sine significatiue.* Sed hæc præsertim generaliora, quæ majores aut earum consequentias faciunt, excerpanda & uno syllabo exhibenda essent, ut eorum usus esset in disp. philosophicis & theologis: quomodo antehac in scholis usurpati fuerunt libelli
con-

continentes axiomata Aristotelis, aliorumq; Philosophorum. Inter theses illas comparent, & peculiariter notandæ sunt, quæ ad modum paradoxorum efferuntur: Eccl. 1. 9. 10. *Nihil novi sub sole.* Phil. 1. *mori lucrum est.* 2. Cor. 12. *Quando infirmus sum, potens sum.* 2. Cor. 6. 9, 10. *Nihil habentes, & omnia possidentes.* Eccl. 7. *Ne sis nimis sapiens.* De quibus in Theriite Heautontim. in genere aliquid diximus; & alibi forte plura dicturi sumus. Huc etiam refer gnomas, proverbia, & sententias practicas, quæ instar axiomatum necessariorum (necessitate sc. accepta secundum subjectam materiam 1. Ethicor. Nicomachor. cap. 3.) usurpari solent. e. gr. Luc. 4. 24. *Nullus Prophetæ acceptus in patria.* Tit. 1. *Cretenses semper mendaces.* Plura vide in adag. fact. Delrio & Schotte.

III. *Distinctiones* vel quod ad ipsam rem seu materiam, vel quod ad notiones seu formalitates, hoc est, quod ad modum enuntiandi philosophicæ dicuntur, e. gr. *pani eos panti tropos seu olws & apo merous, seu ek merous,* 1. Cor. 5. 10. & 9. 22. & 15. 29. Phil. 1. 18. coll. cum 1. Cor. 13. 9. Rom. 11. 25. 2. Cor. 1. 14. & 2. 5. *prophasei, aletheia* Phil. 1. 18. *ontws,* quod opponitur *to phainomentos* 1. Tim. 5. 3. Luc. 24. 34. Ioh. 8. 36. 1. Cor. 14. 25. Notandæ formulæ limitationum *kata' antropon* 2. Cor. 11. & generales illæ *kata, to kata* Rom. 1. 2. 3. & 9. 5. Act. 2. 30. Eleganter distinguit apostolus *to* per se, in se, & per accidens, seu per aliud Rom. 7. 7. 8. 11. 13. 17. 18. *Similiter non cupimus exui, sed cupimus superindui* 2. Cor. 5.

IV. *Termini simplices* sunt, qui ex professo in philosophicis disciplinis explicantur, & in scripturarum argumentationibus, aut explicationibus, aut amplificationibus per similitudines, aut metaphoras, adhibentur. Quales e. gr. possibile impossibile, verum falsum,

falsum,

falsum, bonum malum, necessariū contingens, cœlū, terra, astra, ignis, ventus, fluvius, fons, mare, metalla, plantæ, animalia, morbi varii, vindex & vindiciæ, sponsor, testamentum, depositum, appellatio seu provocatio, luminaria magna, numerus, magnitudo, lumen, umbra, &c.

§ 2. Ostendamus nunc loca aliquot scripturæ quæ aut philosophici quid continent, aut ad quorū explanationē philosophiæ cognitio utiliter adhibetur; idque secundū ordinē disciplinarū. I. *Logic & Metaphysica* Math. 19. 17. Marc. 14. 21. Phil. 1. 23. ubi de bono Matth. 18. 7. Luc. 24. 26. I. Cor. 11. 19. ubi de necessitate I. Cor. 11. 14. cum Rom. 1. 19, & 2. 14. ubi de lumine & lege naturæ Rom. 3. 28. ubi de argumentatione & discursu. Confer plura in I. part. sel. disp. tit. de Ratione humana in rebus fidei. 2. Tim. 2. 15. ubi de instrumento divisionis & analyseos. Heb. 5. 14. ubi de habitibus. Hebr. 1. 3. ubi de subsistentia seu persona. Act. 17. 25. 27. 28. ubi de manurentia, motione & concursu causæ primæ. Phil. 2. 7. Gal. 4. 1. Rom. 1. 20. ubi de natura & essentia Dei.

II. *Physica*; præter integra capita Gen. 1. & 2. Ps. 104. & Iobi quamplurima; I. Cor. 15. 36. 42. ubi de corporum natural. distinctione, ortu, interitu. Eph. 5. 13. coll. cū Iobi c. 38. ubi de lucis, luminis, umbræ natura & proprietatibus Gen. 30. 37. 38. ubi de viribus imaginationis. Ioh. 3. . . Eccl. 1. . . Ps. 146. . . ubi de vento Math. 28. Act. 4 Iobi 9. Ps. 18. ubi de terræ motu. 2. Reg. 2. 21. 22. Math. 5. . . ubi de sale. Vide Bern. Gomeſii dialcepsin de sale, cū commentator. ad loca cit. & Spanhemii dubior. part. 3. p. 457. Sed nō opus hic pluriū locor. indicium facere: cū in manibus sint Physica, Ethica, Polit. Christ. Dancii, & Zanchius de operibus creat.; & ipsi antehac

P

in

in 1. part. sel. disp. tit. de creat. quā plurima notaverimus. De historia sacra animalium Franzius, & Bustamantinus cit. in Bibliotheca, imprimis Bochartus cujus vastum volumen an. 16. . . Londini excusum. De ciconia, strige, & bubone Fullerus lib. 6. c. 7. & 9. & 10. Idē lib. 5. c. 9. & 20. De bruchō, eruca, melolontha &c. Ioel 1. cum Ier. 51. 27. De gemmis, Rueus; cuius opusculum cum Valesio editum. De Iaspide Fullerus lib. 6. cap. 8.

III. *Medicina; Physiologia*, Gen. 2. ubi de costis. Iob 3. 15. Deut. 22. 17. Psal. 139. Gen. 38. 8. Ier. 37. 3. Ezech. 16. 4. Levit. 11. & 12. cum Hebr 11. ubi de iis, quæ pertinent ad nativitatem, & generationē hominis. Johann. 19. 34. ubi de liquore pericardii. Confer disp. nostram de Perfossio latere Christi. Ad *Babanicam* spectant, herbæ complures, quas magnam partem explicuit Levinus Lemnius, cuius opusculū cum Valesii philosophia sacrā excutum est. De dudaim Gen. 30. ex professo agit Drusus in diatribe cum commentar. in librum Ruth edita: cui se opponit Fullerus miscell. lib. 6. c. 6. & in apolog. ibid. De kikajon Ionæ 4. & ligno gopher Gen. 7. Vide Fullerum lib. 4. c. 5. *Pathologia*, Iudic. 3. v. 22 & 9. 53. 2 Sam. 5. v. 4 ubi de vulneribus. 2. Reg. 9. 24. 1. Reg. 22. 34. 1. Sam. 3. 27. & 20. 10. 2. Paral. 21. 19. Ier. 38. 1. Sam. 5. 6. Deut. 28. 27. Act. 14. 23. Levit. 13. & 14. Matth. 9. 20. Psal. 91. v. 5. 6. Act. 28. 8. ubi de specialibus quibusdam morbis. Vide de lepra Fullerum lib. 1. cap. 17. Eundem de hæmorrhoidibus lib. 5. cap. 3. Et de vulnere ad quintam costam lib. 5. c. 1. Luc. 22. 44. ubi de sudore sanguineo. Confer nostram disput. de agonia Christi. Matth. 4. de lunatino. Confer Fulleri lib. 2. c. 17. & disp. nostram de energumenis 2. Sam. 24. cū Deut,

Dent. 28. Amos 4. Ps. 91. v. 1 de peste. Confer nostram disp. de peste. Huc refer quæ de venenis in genere Marci 16. Iac. 3. 8. & in specie ex animalibus Deut. 2. 24. 33. Esa. 11. 8. Ps. 91. . & 140. . cū Rom 3. Num. 21. Act. 28. 3. 6. Apoc. 2. 1. Ex planetis Deut. 32. 32. 2. Reg. 4. 39. Adde morbos aut symptomata miraculose immissa, Num. 5. 27. ubi de aquis zelotypiæ. Gen. 19. . 2. Reg. 6. 13. Ioh. 18. Act. 12. ubi de scotomate. Num. 12. & 2. Reg. 5. 27. & 15. 5. ubi de lepra Mirjam, Vzzia, Gehazi. *Therapeutica*, Ies. 38. ubi de palatha ficuum. Ies. 1. 6. coll. cum Luc. 10. 34. ubi de curatione per oleum & vinum. Vide tractatulu peculiarem Petri Parisii Medici Siculi. Vide in Bibliotheca amici cuiusdā, Fortunati Schadci myrothecium sacrorum Elaiochrismaton 1. de oleis & unguentis, quorū in S. Script. mentio. *Diatetica*, 1. Tim. 5. 23. ubi de modico vini usu adversus infirmitatem stomachi. Et Luc. 5. 39. de vino veteri. Marc. 15. 23. de vino myrrhato. Huc refer quæ de *funere medicato* Gen. 50. 2. 3. 2. Paral. 16. 14. Ioh. 19. 39. (de quo exstat tract. Petri Bellonii) ; & de *cosmeticis* 2. Reg. 9. 30.

IV. *Astronomiæ*, Genes. 1. v. . . . Ps. 19. & 104. & 148. Ies. 40. Ps. 146. ubi de stellis in genere; & de magnis luminaribus in specie Ies. 13. Amos. 5. Iobi 9. ubi de Arcturo, Orione &c. Ies. 14. Apoc. 2. 28. & 22. 16. ubi de lucifero. Ios. 10. Ies. 30. Matth. 27. Exod. 7. ubi de miraculosa mutatione luminis & cursus solaris. De Matth. 27. . . . vide Titelmannū in *Physica*, Barocium in *sphæra*, Keplerum in *Astronomia* lib. 6. p. 896. Suidam in voce *Dionysius*, Augustinum de civit. lib. 3. c. 15. Citatur à Neand'ro in catechesi p. 417. & à Wilkio in notis ad Prudentium p. 543. tractatus peculiaris Luce Gaurici: sed

quem hæctenus videre non potui. Adde recentiores commentatores, Corn. à Lapide, Pareum, &c. & Spanhemii dubia euang. Ier. 31. 37. & 33. 22. ubi de Vranometria. Eccl. 1. Ios. 10. Ps. 19. ubi de motu cælestium & quiete terræ. Huc refer Semiotica & prognostica, Math. 16. 2. Luc. 12. 54. 1. Reg. 18. 44. 45. Ier. 10. 1. Locum Iud. 5. 20. quem pro prognostica ex astris, quidam objiciunt, egregiè de physica influenza, interpretatur Georgius Abotus in sex prælectionibus.

V. *Cosmographia, geographia, hydrographia, nautica*, Ps. 24. 1. & 10. & Iobi 38. de constitutione & conjunctione terræ & aquæ in unum globum. De situ & divisione terræ sanctæ Ios. 13. &c. Act. 27. ubi descriptio maris, insularum & locorum adjacentium: Matth. 2. coll. cum Ps. 72. ubi quæritur de longitudine itineris magorum. De quo vide Rodolphum Goclenium in sphaera pag. ult. Huc refer anemologica & nautica Ps. 107. & Act. 27. Confer tract. varios de arte navigandi, latina & vulgaribus linguis editos.

VI. *Arithmetica, Geometria, Statica, Architectonica*, 1. Reg. 7. ubi de labri peripheria & diametro. Gen. 7. ubi de mensuris arcæ. Ezech. 40. 48. ubi de mensuris templi. 2. Sam. 12. 30. & 14. 26. ubi disquirendum de pondere.

VII. *Optica, & de sonis*, 1. Corinth. 14. Actos. 28. ubi de sonis Iudic. 9. 36. 37. 2. Reg. 3. 22. 23. Psalm. 68. 13. & 102. 12. Iohan. 18. 7. & 20. 14. 15. Luc. 24. 16. ubi de luce, umbra, visu, fallaciis visus. Vide commentatores Ar. Montanum, Lorinum, à Lapide, Martyrem, & disp. nostras de creatione.

VIII. *Ethica & Oeconomica*. Quæ etiam pleræque ad eam theologiæ partem, quæ moralis & casuistica

ca dicitur, notari possent. Huc refer præcepta ge-
oponica, Matth. 9. 17. Confer & Eccles. 5. 9. Pro-
verb. 14. 4. Gen. 26. 12.

IX. *Politica*, 1. Sam. 8. 11. coll. cum Deuter. 17.
Rom. 13. 1. 2. 3. ubi de jure majestatis Iesai. 49. 23.
1. Reg. 2. cum 2. Paralip. 19. ubi de potestate
Magistratus circa Ecclesiastica. 2. Paralip. 13. ubi
de vindictis contra tyrannos usurpantes à Statibus
& proceribus Reipublicæ, quibus etiam Ius gladii
commissum est, exercendis. Dan. 4. & 11. ubi de
quatuor monarchiis: 2. Sam. 11. Iud. 9. 1. Reg. 20. &
22. 2. Reg. 3. ubi de aciebus ordinandis, & urbibus
capiendis, & obsidione solvenda. Math. 17. Est. 10.
ubi de teloniis & vectigalibus. Matth. 22. ubi de
nummis. Prov. 15. 22. ubi de consiliariis.

X. *Jurisprudentiæ*, præter loca omnia V. T. quæ ju-
risprudentiam Mosaicam & Salomonicam conti-
nent ab Heresbachio, aliisque notata & explicata;
occurrunt Gen. 1. . . Ezech. 28. ubi de distincti-
one dominiorum, & mari libero aut clauso. Iudic.
11. ubi de domini translatione per præscriptionem,
per jus belli, & donationem. De quo part. pag. . .
nostri Thersitis Heautontimorumeni, antehac quid
dictum est. 2. Tim. 1. ubi de deposito. Hebr. 9.
17. Galat. 3. 13. ubi de testamentis. Actor. 25. & 26.
ubi de Iure appellationum ad Cæsarem. Math. 14.
& 27. Actor. 12. & 16. ubi de carcere, & Iudiciis
criminalibus, eorumque executione. Act. 22. v. 24.
ubi de quæstione & de Iure civium Romanorum.
Hebr. 7. 22. coll. cum Proverb. 6. vs. 1-6. ubi de
sponsore seu vade. Atq; hoc breve Specimen suf-
ficiat.

Cap. II. *De Philosophia sacra didactico-elenctica.*

HActenus de Philosophia sacra textuali: sequitur, ut materias & quæstiones philosophicas indicemus, quæ in didactico-elenctica theologia ab accuratis theologis tractari solent; aut quarum adminiculū ab illis advocatur, & *ἢ παροδῶ*, aut per modum repetitionis, illic attinguntur & applicantur. Prioris generis sunt materiæ de mundo, de spiritibus, de homine, de anima humana, de principiis actionum humanarum, de affectibus, de bono & malo, de persona, de possibili & impossibili seu de implicatione contradictionis, de concursu causæ primæ cum secunda. *Et ex Philosophia practica ac Jurisprudencia*, de Jure & justitia, de dominio rerum, de legibus, de Magistratu, de bello & pace, de fœderibus, de juramento, de Usuris, de hæresi & hæreticis, de potestate ecclesiastica. *Posterioris generis sunt*, e. gr. materiæ de natura & supposito, de accidente, de ubi, spatio, corpore, quantitate, loco, de distinctionibus rerum, de necessario & contingente, de habitibus, de potentia & actu, de relatis, de actione, de passione, motu, præsertim locali, de generatione hominis & productione animæ. *Ex Philosophia practica*, de summo bono, de virtute, de contractibus, de liberalitate, fortitudine, amicitia, de formis Rerum publicarum, de servis, de potestate patria &c. Vide indicem Jac. Gothofredi ad Tertullianum ad nationes. Quod ad particulares quæstiones philosophico-theologicas, illarum syllabum contextum habemus, ordine per singulos locos theologicos, indicatis passim autoribus, qui illas quæstiones tractant; eumq; aliquoties in collegiis privatis proposuimus, sed hic exhiberi, brevitatis thesium non patitur. Tantummodo hic indicamus, quam methodum servare solemus

solemus

solemus in collegiis politico-theologicis, à toto corpore collegii philosophico-theologici avulsis. Continet 1. examen & disputationes super selectis quibusdã locis communibus theologicis, ut de Magistratu, de legibus, de conscientia, de libertate conscientia & permissione sectarum, &c. aliisq; modo indicatis. 2. examen & disp. super selectis problematis secundum ordinem decalogi, adjectis præcipuis aliquot ex politica ecclesiastica, ut de potestate & politica ecclesiarum, de temporalibus ecclesie, de Episcopatu, de vocatione ministrorum, de consiliis, de syncretismo, de disciplina. 3. Examen & collationẽ super selectis quibusdam textibus scripturæ, quales thesi præced. sub titulo politicæ notavimus. 4. Examen & dispp. super quæstionibus quibusdam hypotheticis, e. gr. de Papæ potestate temporali in universum, & an ac quando illi competat jus majestatis temporalis, An & quomodo ejus legati agnoscendi aut non agnoscendi sint, An sit princeps neutralis ratione politiarum reformatarum, An ejus prætensa potestas sit compatibilis cum politiis reformatis, An genuini & rigidi Papistæ sint boni cives, An & quomodo fœdera cum papisticis principibus, & cum qualibus ineunda aut non ineunda sint, An bellum Belgicum jure susceptum sit contra tyrannum Hispanorum, Et an pro veræ religionis defensione gestum, An principi Belgarum jure principatus abrogatus sit, & unã libera respública constituta an. 1581. An Pontificiis concedenda sit aut jure competat libertas exercitii; An hac in parte reformati fidem datam non servarint, & an injustè templa, monasteria, & bona ecclesiastica ipsis abstulerint: uti passim conqueri solent Pontificii. Has quæstiones partim attingimus, partim tractamus in disp.

disp. de sede Romanâ incompatibili, de libertate conscientia, de Temporalibus ecclesiae &c. Possent & aliae aliquot praecipuae quaestiones hypotheticae ex antiquitate & novitate ecclesiastica addi, ut de donatione Constantini, de translatione Imperii (de quibus dispp. dedimus): de donationibus Pipini, Caroli Magni, aliorumque principum liberalitate, quam peculiari libro defendit Gretzerus; de pace religionis in imperio, deq; jure Imperatorum, Principum Protestantium in suo territorio, &c. de quibus Arumæus, Mathias Stephani, Carpzovius &c. Deniq; de Monarchiâ Sicula, De Lud. Bavaro, de Excommunicatione Regis Navarre Henri IV. De depositione Hermanni & excommunicat. Truchsessii Electorum Colonensium: de quibus omnibus peculiare tractat. editi, & proprie pertinent ad controversias historico-ecclesiasticas. Illis ergo in hoc collegio, si ita visum, praeteritis, una & capitalis controversia non videtur omittenda, An reformati pace religionis sub nomine Augustanae confessionis & ex vi conventionis Passaviensis a. 1555. frui debeant. Vide affirmantem egregie defensionem ab Altingio in explic. confessionis Augustanae sub finem. Idem nuper praestitit Iohannes Crocius tract. peculiari. 5. Quinta pars (sed quam haecenus nondum addidi) contineret stricturas seu notas exercitationum, ad Lanceloti Institutiones Iuris canonici, aut ad paratitla decretalium, aut ad Zypæum: ubi breviter indicarentur, quae cum religione & politica ecclesiastica reformatorum pugnant. Adhaec censuras ad Machiavelli Principem; etiam exercitationes ad Politicas Lipsii, Hobbes, Contzen, Marianæ de rege & regis institutione &c.

Problematis aliquot nunc hanc rem propius explicabimus. *I. Probl.* An sit philosophia sacra & quis ejus usus? *Resp. 1. Concl.* Esse textualem deprehendet, qui philosophicis disciplinis mediocriter imbutus, scripturam legit. Idem indicant commentaria Thomæ, Abulensis, Pererii, Lorini, Corn. à Lapide, Pineda, & ex nostris Martyris, Parei &c. Præter eclogarios, Valesium, Lemnium, Paul. Zachiam in quæstionibus medico-legalibus, aliosque in Bibliotheca nostra notatos. Adde scriptores Physicos, Medicos, Astronomos, Geographos, qui in suis tractatibus scripturæ dicta philosophiam attingentia notant, explicant: quales inter alios Melanthon, Titelmannus, Casmannus, Keckermannus, Mestlinus, Clavius, Wendelinus, &c. Denique scriptores, qui ex professo physicam sacram (Zanchius, Daneus) Ethicam & Politicam sacram (Daneus) Jurisprudentiam &c. ex scriptura delinearunt: quos vide in Bibliotheca. Alstedius conatus fuit in *suo* Triumpho Biblico omnes disciplinas in & ex scriptura ostendere. *2. Concl.* Philosophiam theologicam passim exhibent locorum communium, & controversiarum scriptores; imprimis, qui ex professo philosophico-theologica pertractant; quos vide in Bibliotheca. *3. Concl.* Hinc sequitur, quantum sit Philosophiæ sacrae usus, & quam ea necessaria theologo ad solidam & eruditam scripturæ intelligentiam atque explicationem; ad accurandos conceptus locorum communium, dogmaticorum & practicum; ad enodandas controversias Epicureorum, Iudæorum, Muhammedistarum, Libertinorum, Socinianorum cum affinibus, antiquorum & hodiernorum Scholasticorum; &

Q

recen-

recentium quorundam, qui larva philosophica tecti libertate philosophandi abutuntur ad quassandam aut subvertendam scripturarum doctrinam, veræ pietatis praxin, & saniorū sermonum hypotyposin, aut sanam ac sobriam philosophiam seu theologiā naturalem ex axiomatis luminis naturalis & rectæ rationis derivatā: quales inter alios sunt Neo-Hermetici & Paracelsistæ, Neo-Platonici, Neo-Epicurei &c. Conferat, cui vacat, scriptores præcognitorum philosophicorum: (inter eos, Keckermannum & Alstedium; & hujus theologiam naturalem, & præcognita theologica); scriptores præcognitorum seu de ratione studii theologici, inter quos Hyperius lib. 1. cap. 4.-9. ubi nominatim Logicam, Mathesin, Ethicam, Politicam, Oeconomicam, Architectonicam, Geoponicam, Physicā cū aliquo gustu Medicinæ commendat. Non possum, quin hæc ejus verba ex cap. 6. exhibeam: „ Passim vero, ubi „ istarum rerum naturalium (*in scripturis*) obveniunt „ nomina seu descriptiones, aut factum aliquod in „ signe narratur, aut latet retrusa quædam rerum „ spiritualium significatio, aut similitudo sive com- „ paratio texitur. *Nunquā igitur aut simplicem verborum „ sententiā, aut reconditum mysterium aut similitudinis rationē „ propriè ac dextrè eruet, qui in illis, quas commemoravimus, „ physiologie partibus tempus aliquantum non triverit.* & Bibliothecæ nostræ lib. 1. ; disp. nostr. de Theologia; concionem ad Luc. 2. 46. de scholis & studiis vernaculo idiomate editam; & Therfitem Heautontimorumenon. Deniq; ex Jesuitis Pererium in prolegomenis ad disp. de communibus rerum naturalium principiis; & ex Dominicanis Canum de locis theol. lib. 9. 10. Didacum Masium in quæst. præmialibus ad comment. in Aristotelis 8. libros phy-

fico.

ficorum sect. 2. quæst. 5. & in præfatione: ubi specialiter contra quorundam fastidium defendit philosophiam quæstionariã. Qui ergo theologiã studiosis philosophiam dissuadent, immo vel quamvis umbram aut voculã ejus odiosè insectantur, tantundẽ fere ad barbaræ ignorantiaẽ quasi jure postliminiĩ restitutionẽ contribuere mihi videntur, ac illi qui trium linguarum cognitionem contemnunt: quia moribus antiquis res stat Romana, juxta vetus dicitur: *Græcum est, non legitur*. Et alterum recentius (ut opinor) quod in Belgio auditum memini: *tu scire theologis si sciant in Hebraicis alphabetare, in Græcis syllabare, in Latinis componere, in Hispanicis & Gallicis parlare.*

II. *Probl.* An tanti momenti sit philosophia sacra, ut ab ea dissentire aut in utramvis partem de ea sentire & disputare non possint theologi, aut saltem philosophi. *Resp. 1. concl.* Ut in problematis quibusdã theologicis verè religionis consortes theologi dissident, & moderatè ac liberè docent ac disputant in scholis: sic æquum est theologis, nedum philosophis, libertatem hanc non negari in philosophicis ad dictorũ problematũ explicationẽ ac disputationẽ proximè facientibus: de quo ex professo agitur in *Polit. eccl. part. 3. tit. de libertate prophetandi. 2. Concl.* Non tamen objecto philosophiã & philosophicæ libertatis sive umbone sive prætextu, necessaria theologiã dogmata in scholis publice aut in privatis collegiis directe ita oppugnanda sunt, aut indirecte & per consequentiã labefactanda, ut de veritate eorum, aut saltem de necessitate, auditores dubitare doceantur. E. gr. Si quis animam mundi, aut naturam animæ rationalis, ita explicet, ut præjudicium adferat providentiã Dei, aut ani-

mæ immortalitati & subsistentiæ extra corpus. Sic
 similiter unguentum vulgò dictum armarium, seu
 opliatria, ita agro Philosophico & Medico non est
 vindicanda, ut falx mittatur in agrum Theologicū
 & pietatis; & decretorū Synodorum sepimentum
 (vide decretum Synodi Suyd-hollandicæ Rotero-
 damensis a. 1594. contra exercitium opliatriæ) tur-
 betur, & sic scandalum detur, quasi à reformatis
 (quales fuerunt, aut saltem esse voluerunt Osvaldus
 Crollius & Rud. Goclenius junior hujus opliatriæ
 Doctores & defensores) ratione aliquā subservia-
 tur superstitionis & magiæ indirectæ pragmaticis ac
 defensoribus. Idem dico de astrologia judiciaria,
 quam quidam Medicus Strathmion Augustanæ con-
 fessionis peculiari tract. defendere conatur, refu-
 tatus à Thoma Erasto. Simile quid monuimus de
 Henrico Kunrath, Henr. Nollio, Rulando aliisque
 inter protestantes aut reformatos numeratis, disp.
 6. de creatione pag. 677-683. Confer 3. part. sel.
 disp. tit. de superstitione & de magia, 3. *Concl.* Ne-
 cessarium dogma theologicum, quamvis notioni-
 bus & terminis philosophicis vestitum ac proposi-
 tum, quod ad rem seu materiam manet theologi-
 cum: ita ut prætextu solius dissensionis in forma &
 modo proponendi, ex professo dissentire non debe-
 ant theologi & philosophi Christiani, nedum in rectè
 sentientes incurrere. Sicuti vicissim nulli orthodoxi
 non in re ipsa sed tantum in *explicata* terminorum
 philosophicorum, quibus res proponitur, dissentien-
 tes, heterodoxiæ, nedum hæreseos notari debent:
 modo constat eos terminis contra communē scho-
 larum, & rectè loquentium usum, studio non abuti:
 tunc enim se suspectos reddunt. E. gr. cū queritur,
 An pater in divinis sit causa & creator filii, an anima
 ratio.

ratio.

rationalis sit cogitatio h. e. an sit accidens aut modus corporis, an vero sit substantia? An fides quæ operans per caritatem justificet? An Christus sit filius Dei unigenitus, & sit Deus quæ suscitatus ex mortuis & euectus ad dexteram Dei? 4. *concl.* Hypothesis philosophica negata, si per primam consequentiam subvertat thesim theologica, immo & directè dogma theologiæ naturalis; non est inter controversias philosophicas liberè in utramq; partè agitandas numeranda: e. gr. An corpus sit pars essentialis hominis, Hoc negato, defendunt Sociniani hæresin suã contra resurrectionem; & Remonstrantes ab hæresi eos liberare student in suã apologiã, prætexentes dependere hanc controversiam à quæstione merè philosophica. Rursam, si quis animam rationalem dicat esse mentem, & mentem esse ipsam cogitationem; aut cum Galeno dicat esse temperamentum, is animam facit purum modum, & consequenter negat esse substantiã à corpore separabilem & subsistentem, atq; adeo immortalem: aut otiosè immo & periculosè ludit in vocibus 5. *Concl.* Hypothesis philosophica negata aut affirmata quæ adversariis heterodoxis in impugnatione veræ fidei & in propugnatione sui erroris ancillatur, non debet in scholis orthodoxis libere in utramq; partè agitari. e. gr. de uno corpore in pluribus locis, de penetratione corporis per corpus, de communicatione proprii. 6. *concl.* Opinio dicta philosophica, scripturarum testimoniis, juxta ecclesiasticã & communẽ Christianorũ interpretationem, repugnans, non potest decore in scholis Christianis defendi. ex. gr. de motu terræ, & quiete solis; de sole primo die creato; de anima intellectiva mundi, aut cœli; de sensu omnium rerum; de animalibus

non viventibus aut non sentientibus; de lucro ex pecunia mutuo data quantocunq; modo non prohibeat Magistratus; de abusu reddituum ecclesiasticorum, sub abusivo aliquo titulo ecclesiastico (titulo scil. sine re) sive reformato sive Papali; modo permittat magistratus. Quamvis hic errantes statim hæresios condemnari nolimus: interim reverentiæ tantum communi christianæ ecclesiæ sensui & consensui (siquidem scripturis rectè intellectis & rectæ rationi nondū queant) ab illis tribui velimus, & occasionem scandali in tantum declinari, ut secum habitent, & sibi has opiniones servant: siquidem salutem animæ & ecclesiæ à peculiaribus illis opinionibus ipsorum non pendere, facile ipsos credituros & confessuros arbitror.

III. *Probl.* An scripturæ philosophica illa *en parodo* aut aliud agentes, & non ex professo tractent; & an ad amussim veritatis, an vero ad communem & receptam hominum opinionem hic loquantur? *Resp.*
 I. *Concl.* Scriptura nullibi integras disciplinas philosophice, acroamaticæ, systematicæ aut per modum artis tradit; servata methodo didascalica ab universalibus ad particularia, à principiis ad principiata, & perpetua definitionum, divisionum, theorematum, demonstrationum concatenatione. 2. *Concl.* Nec etiã omnem materiam aut contenta alicujus disciplinæ exhibet nisi excipias politico-jurisprudentiam Israeliticam. 3. *Concl.* Quidquid thesium & descriptionum philosophicarum alicubi inspargit, aut per modum similium innuit, id omne non fit ex professo, nec speculativè nec methodo didascalica, nec stylo acroamatico; sed in ordine ad theologiam explicandam, & occasione doctrinæ aut historiæ sacræ applicationis & usus spiritualis ergo, methodo populari

lari

lari aut arbitraria (pro re nata & subiecta materia), deniq; stylo exoterico. Vnde tamen inferri nequit non aliâ formâ, methodo, phrasi à nobis eadem explicanda esse, & tractanda. 4. *Concl.* Quęcunq; inspargit, aut *en parodo* innuit, aut per similia, adagia, gnomas, &c. explicat, amplificat; omnia vera sunt, & quidem *theopneustos* atq; infallibiliter, quippe cū & res & phrasēs per Spiritum S. scriptoribus sacris dictatę sint: uti ostendimus in 1. part. sel. disp. tit. *Quousq; se extendat autoritas scripturę.* Hęc tamen limitatio hic locum habet, *to kata pantos* in regulis Semioticis seu prognosticis (quales Hesiodus, Virgilius, Mizaldus &c. congesserunt), ad hęc in regulis Medicis, sententiis Politicis, Ethicis, Oeconomicis admittere suam latitudinem, & aliquando tantum accipiendum *ως επι το πολυ*. Vide quę logici passim, inter eos Scherbius c. Ramum, ejusq; Hyperaspistes Libavius c. Rennemannum. & commentatores Ethici ad 1. Eth. Nicomach. cap. 3. de demonstrationum *ακριβεία* distinguunt. 5. *Concl.* Quęcunq; ergo de rebus naturalibus, eorumq; affectionibus & causis, speciatim de systemate mundi in scriptura historice referuntur, aut in argumentis & similibus theologice partem faciunt, non minus authenticę vera sunt, ac illa quę historicę quid referunt, de rebus & gestis hominum civilibus aut ecclesiasticis: nec magis illic quam hic secundum errores populares, aut incertas hominum opiniones locus est Spir. S. De quo contra tenebrionis Remonstrantici exceptionem ex professo disputamus in *Thersite Heautontim.* 6. *Concl.* Philosophica illa ignorasse apostolos, aliosq; scriptores sacros, non est dicendum sine accurata & sollicita distinctione. De ignorantia pravę dispositionis in ipsa descriptione libri

bri

bri canonici, nullo modo concedendum est. ex. gr. terram rotari, plures esse mundos, esse alium orbem in luna, dari phœnicem, non dari antipodas, duas orbis plagas esse inhabitabiles, esse homines marinos, Peloponnesum aut Britanniam esse continentem, Germaniam esse insulam, flumina non oriri ex mari, proportionem diametri ad perimetrum accurate esse triplam, turrim quadratam esse in se & revera rotundam, quod eminus talis videatur &c. Sane non parū autoritati scripturæ præjudicaret, si quis pertinaciter defenderet, scriptoribus *theopneustois* cum & dum in scriptione librorum sacrorum, aut etiam in disputatione cū adversariis, & publica corā ecclesiis prædicatione versarentur, obrepisse & obrepere potuisse errorem, aut *ablepsiam*, aut *parorama* (inadvertentiā) aut oblivionem circa res philosophicas aut historias naturales, civiles, ecclesiasticas tunc ad explicationem, probationem, defensionem rerum theologicarū adducendas. De ignorantia puræ negationis, idem statuendum arbitror, quotiescunq; istarum rerum scientia in explicatione aut defensione veræ theologiæ ad partes vocanda erat. Nam alterutrum absurdum alioquin admitendum esset, aut Spir. S. ignorantia obnoxium fuisse; aut scriptoribus sacris non fuisse infallibiliter & rem, & modū explicandi ac defendendi, & stylum ac phrasas, à spiritu dictata atq; inspirata. Unde videbunt nostri *philomatheis* quomodo illa Iohan. Ger. Vossii viri polystoris lib. 3. de Idololatr. cap. 99. cum grano salis dextre accipienda sint: ubi excusaturus Clementis errorem de Phœnice, in epistola ad Corinthios, sic loquitur: *Nec enim necesse est, credamus, Clementem scisse omnia quæ facerent ad arcana natura. Ne id quidem credere opus est de apostolis; licet Christus*
promissus

promissus

promiserat, missurum se spiritum s. qui in omnem eos duceret
 veritatem. Quippe hoc restringendum ad veritatem earum re-
 rum quæ ad salutis pertineant negotium: immo ne harum quidem
 omnium, quia apostoli ipsi (1. Cor. 13. 9.) ex parte viderunt
 ac prophetarunt: sed omnium, quas scire est opus alteram ad vi-
 tam consequendam. Aliud est aliquid de Deo & rebus
 divinis aut de creaturis, seu rebus & actionibus
 naturalibus, & humanis ignorantia puræ negatio-
 nis nescire: & aliud contra veritatem de Deo aut
 de rebus naturalibus aliquid sentire, & fallam su-
 am opinionem pronuntiare, profiteri, docere. Quo-
 rum istud, est error & erroris pronuntiatio ac pro-
 fessio; quam consequitur aliorum in eundem erro-
 rem seductio; illud non est. Istud Clementi meri-
 to tribui potest, tam in rebus divinis, quam in na-
 turalibus: & exemplū erroris in naturalibus à Vos-
 sio rectè annotatur. Sed talem errorem in scriptis
 prophetarum & apostolorum nemo demonstra-
 vit: multo minus errorem in rebus ad salutis nego-
 tium pertinentibus, ita ut pura & simplex ignoran-
 tia apostolorum in rebus divinis 1. Cor. 13. v. 9, 12.
 cum Rom. 11. v. 33, 34. aut in rebus naturalibus,
 aut in historia tum naturali tum civili, comparari non
 debeat cum manifesto errore Clementis, nec ad e-
 um excusandum adduci. Maxime enim sunt diffi-
 milia. Juniores hic conferant, quæ de autoritate
 scripturæ in 1. part. sel. dispp., & de ignorantia,
 errore, &c. in 3. part. docuimus.

§. 3. Hactenus problemata de natura Philoso-
 phiæ sacræ: sequuntur aliqua de ejusdem cura &
 studio.

I. Probl. Quæ partes philosophiæ sacræ, studiosis
 theologiæ excolendæ. Resp. 1. Concl. omnes; ab il-
 lis scil., quibus Deus hæc omnia fecit, h. e. ingenium,
 vires,

R

vires,

vires, occasionem, media, & auxilia liberaliter suppeditavit: de quo mentem & votum nostrum exposuimus in Bibliotheca lib. I. 2. *Concl.* Præcipuæ (in cursu scil. Academico) ab illis, quibus omnia illa mediocriter adsunt: reliquis meliori occasione & otio post absolutū cursū Academicū reservatis. 3. *Concl.* Logica, Metaphysica, Politica, Ethica, Physica ad minimū serio discenda, cū gustu aliquo doctrinæ sphericæ ac geographicæ ab illis; quibus ingenii, otii, occasionis, rei familiaris, præceptorum, aliorumq; adminiculorum copia non suppetit. Sed quibus Deus hæc otia fecit, ex Academiis nondiſcedant, antequam reliquas disciplinas & artes adjunxerint, cum gustu aliquo medicinæ & jurisprudentiæ. De quo vide lib. I. Biblioth. nostræ.

II. *Probl.* A & sub quibus magistris discenda, theologis an philosophis. *Resp.* I. *Concl.* siquidem philosophus in scriptura & theologia hospes non fit, aut ex professo theologiæ operam dederit, aut etiamnū det (quod de pluribus, si non de plerisq; , philosophis Academicis affirmare licet) utiq; nihil absurdi faceret, si publicè privatimque in theologico-philosophicis, aut filosofophico-theologicis studiosos exerceret. Saltem non est dicendus *polupragmonem* & falcem in alienam messem mittere, si materias & quæstiones philosophis ac theologis communes ex professo tractaverit. 2. *Concl.* Idem non minori, sed potius majori jure statuendum est de theologis in S. Script. interpretatione, & rerum divinarum explicatione ac defensione antecessoribus. Nequis putet theologos, qui serio philosophari didicerunt, absurde agere, si quousq; & quantum in philologicis, historicis, philosophicis profecerunt, ad sacræ scripturæ & theologiæ explicationē hæc instru-

Instrumenta conferant; imprimis communes philosophis aut etiam Iure consultis (e. gr. de matrimonio, de juramento &c.) agellos studiose excolant, & discipulis suis hic praeant. Quod si theologos in ordine ad scripturam, & theologiam suam *philologuntas* & *philosophuntas*, superciliose dicteris ineptiarum, *polopragmosunes*, falcis in alienam messem missae, hinc amandare quis studeat; is videat quid pro quibusdam philosophis & philologis, satis dilute, saepe infeliciter, & invita scriptura theologizantibus, responsurus sit.

III. *Probl.* Vtri praeceptores in casu dissensionis sequendi sint, philosophi an theologo? *Resp. 1. concl.* Illi aut isti, à quorum parte stat scriptura & ratio. *2. concl.* Cum nondum quis peremptorie judicare potest, & praesudicio aliquo in alterutram partem potius inclinare velit quam *epeckein*, utique in explicatione dictorum scripturae, & in axiomatis inde educendis atq; ad theologiae explicationem ac defensionem applicandis, ordinario praeferendi videntur theologo; non minus ac Iureconsulti, in explicandis legibus Romanis, & pragmaticis suis ex, factorum & circumstantiarum ponderatione dependentibus; & Medici in explicatione morborum ac remedium, ac experientiarum & observationum ponderatione, philosophis & theologis omnibus ordinario praeferendi sunt, siquid est aliquis ex illis hic se quid degustasse putet. *3. Concl.* cum de axiomaticum communium veritate aut limitatione, deque rationum & consequentiarum nexu agitur; utiq; philosophis plurimum tribuendum, immo ordinario exercitatis philosophis plus quam theologis: sic tamen ne ab hoc foro excludantur theologo, qui theologiam suam non tantum scriptura, sed etiam ratione defendunt,

R 2

fendunt,

fendunt. 4. *concl.* In methodi, definitionum, divisionum, analyse *αξιωματικῶν* pari passu ambulent: siquidem vulgaribus philosophis hæc in parte non cedant theologis *φιλοσοφικωτέροις*. 5. *concl.* In genuino usu & explicatione terminorū, & distinctionū philosophicarum, (quæ communiter ad theologica & philosophica applicari possent), philosophos præferendos putarem: quod ad illos pertineant *κτεσερ*, ad theologos, quæ tales *χρησερ*. 6. *concl.* In physicis specialibus, quæ non scripturam aut theologiam, sed Medicinam, Opticam, Astronomiam, Staticam, Musicam proximè attingunt, philosophis istarum disciplinarum magistris non tantum dogmatistis sed & experimentistis, primæ partes procul dubio tribuendæ sunt; juxta illud; artificii in sua arte credendum est: sic tamen ne theologis ab inspectione illorum tanquam ab eleusiniis sacris arceantur.

IV. *Probl.* Quæ ratio philosophandi ad philosophiam sacram conducere, & theologiam ancillari videatur. *Resp. 1. concl.* Nullius sectæ antiquæ aut novæ philosophia aut quod ad formam absolutè recipienda, nedum ut in verba alicujus hominis jurare liceat: ut quidē calumniose hoc hodiernis Academicis philosophis & theologis in Christianismo, præsertim reformato, à nonnullis vulgò imponi solent; qui omnes alios philosophos ac theologos in cortem suæ chimæricæ & præsumptæ philosophiæ (quam ipsi nondū norunt, nec dicere possunt, quænam sit, aut futura sit) compulsos velint. 2. *concl.* Ex omnibus sectis & philosophis optima, & certissima, etiam maximè probabilia (ubi ulterius iri non potest) desumenda sunt; eaque methodo, quæ fieri potest, accuratissimæ includenda, & theologiam Christianam dextrè aptanda. 3. *concl.* Talis cum

cum

cum Peripatetico-scholastica philosophia interpolata, quæ in scholis Christianis, saltem reformatis, vulgo tradi solet (neque enim memini puram Aristotelicam absque ulla mixtione aut interpolatione, quod ad materiam aut formam alicubi tradi): sequitur illam antiquæ Platonicæ, Stoicæ, Epicuræ, tam in theoreticis, præsertim Metaphysicis, quam practicis; & recentiori Rami, Taurelli, Hermeticæ seu Paracelsiticæ, novæ Sceptico-Epicuræ aut quasi Epicuræ, omnino præferendam esse: 1. quod generalia principia & axiomata luminis naturalis & rectè rationis ea contineat, quæ nunquam refigi possunt: 2. Quod accuratiori, distinctionum, definitionum, & demonstrationum methodo, se commendat. 3. Quod sparsis in scriptura Philosophematis proximè attemperata sit, & veræ ac scripturariæ theologiæ explicandæ, ac defendendæ, optime ancilletur. 4. Quod orthodoxorum theologorum & scholasticorum (ubi illi bene theologousi) scriptis legendis & intelligendis accommodata sit. 5. Quod hodiernis heterodoxis & hæresibus in theologiâ commodissimè obicem ponat: & fidem Christianam contra Atheos, Enthusiastas, Socinianos, aliosque hæreticos, methodo, principiis, axiomatis, hypothesebus suis tutissime defendere doceat. Hoc ergo nomine eam fidei zelotis & theologiæ studiosis commendatam volumus.

V. *Probl.* Quando & quomodo philosophiæ sacræ apparatus comparandus. Resp. 1. conjunctim, lectionibus & collegiis scientiarum philosophicarum: quod tanquã necessarium fundamentum jaciendum est, ut ita in propria sede & ex professo illa contempleremur, & eo semper recurramus. 2. conjunctim

R 3

lectio-

lectionibus & collegiis theologicis locorum communium, & elencticis. 3. seorsim & abstractè, sive lectionibus & collegiis philosophico-theologicis ordine per unam disciplinam (e. gr. Logicam, aut Metaphysicam, aut Physicam, aut Politicam, &c.) aut per omnes disciplinas consequenter à philosopho habendis: sive lectionibus & collegiis theologico-philosophicis ordine partim per omnes scripturæ libros ad textus selectos, partim per omnes locos theologiæ aut per singulas sectas (ut Socinianam, Pontificiam, &c.) præceptore theologo instituendis. Ita nihil absurdi, nihil monstrosi, nihil vanæ curiositatis, nihil ridiculi aut stolidi à doctores & discipulis committetur. Aliter si quis sentiat, is suo fruatur judicio, nos nostro. Inertibus, ignavis & misosophis hanc Introductionem non scribimus, sed solis

philomousois.

* A D D E N D A.

Pag. 25. lin. 30.

Adde Paschaliū de coronis.

Pag. 67. lin. 18.

Adde Vossium de Idololatria lib. I. cap. 29.

A P P E N.

* APPENDIX LIBRORVM,

Qui ad Theologico-philosophicas, aut Philosophico-theologicas materias aut quaestiones, quid conferunt; & in disputatione de Philosophia sacra a. 1651. & in Bibliotheca edit. 2. a. 1651. lib. 2. c. 12. & seqq. praeteriti sunt; aut post a. 1651. demum editi; aut mihi tunc primum cogniti & inspecti.

- F**rancisci Albertini corollaria seu quaestiones theologicae ex principiis philosophicis complexis & incomplexis 1609. & recus. Lugduni, apud H. Cardon, in fol.
- Maximil. Sandei Theologia Medica 1635. in 4.
- Ioh. de Mey Physiolog. sacra seu explicatio locorum scripturae Physici quid attingentium. 1655.
- Ioh. Buxdorffii fil. Cosri heb. lat. cu not. 1660. in 4.
- Ioh. Pythii delineatio apologet. maris aenei fustilis 1654. in 4.
- Ioh. Robinsoni M. D. Endoxa & Pseudodoxiae epidemice ventilatio, in 8. a. 1656.
- Thomae Bartholini Paralytici N. T. 1662. in 8.
- Ioh. Henrici Hottingeri Analecta historico-theologica 8. dissert. ubi 4. de terrae motibus in 8. a. 1652.
- Sethi Wardi Astron. Profess. Oxoniensis, Exercitatio in Hobbii Philosophiam 1656. in 8.
- Ioh. Wallisii Geomet. Profess. Oxon. Elenchus Geometriae Hobbianae 1655. in 8.
- Sinarti, Jac. Revii, Schuleri, Du Bois, Gassendi, Stephani Ezekii, aliorumque scripta contra Philosophemata Renati des Cartes, alia occasione & alibi indicari poterunt.
- Phil. Ferrarii lexicon geogr. edit. Lond. 1657.
- Quae

* *Quæ Philosophiam practicam, Politicam, & Iuris-
prudentiam attingunt.*

- Iohan. Friderici Gronovii de centesimis usuris, & de scenore unciario.* 1625. in 4. ubi ad finem adjectus index Iuridicarum observat.
1664. in 8. *Iohannis Henrici Hottingeri,*
Maximiliani Sandei Theologia Iuridica. 1629. Iuris Hebræorum leges 261. explicatę. a. 1655. in 4.
Iacobi Gothofredi Tertulliani liber ad Nationes, *Gisberti Cocquii Hobbes e-*
cum not. editus anno lenchomenos, anno 1668. in 16.

* *Scripta, quæ Politicam specialem attingunt, quorum numerus pœne infinitus, & quorum magnam partem secundum politias distributam possideo, quorum aliqua datâ occasione in select. disput., aliisque in scriptis indicavi hic volens nunc prætere.*

FINIS.



SYLLABUS
QUÆSTIONUM
PHILOSOPHICO-THEOLOGICARUM.

C A P U T I.

De THEOLOGIA.

- I. AN detur Theologia & cognitio Dei naturalis?
- II. An Theologia innata seu congenita sit actualis cogitatio, aut cognitio, aut conceptus formalis: an vero sit potentia, seu facultas, aut actus primus?
- III. An idem sit $\pi\theta$ actu cognoscere; & potentiã, seu facultatem cognitivam esse actu in homine?
- IV. An naturalis Dei notitia insita sit Idea Dei in mente hominis; aut sit per Ideam & ex Idea sive insita, sive acquisita?
- V. An naturalis notitia Dei acquisita sit in infante modo genito aut in lucem edito?
- VI. An acquisita sit per Ideam tantum, hoc est, per Imaginem inditam aut acquisitam; seu per præsentamen in intellectu humano?
- VII. An sit & habeatur per speciem intelligibilem impressam: & an detur directa & propria species intelligibilis Dei?
- VIII. An qui *εὐρημοί* illud Ideæ non admittunt aut credunt, viam struant ad Atheismum & Soci-nismum?
- IX. An

Syllabus Questionum

IX. An falsum sit tritum illud Scholasticorum, & nostrorum Theologorum ac Philosophorum de modo cognoscendi Deum per viam negationis, causalitatis, & eminentiæ?

X. An naturaliter demonstrari possit, quod sit Deus; à posteriori scil. ab effectu ad causam?

XI. An dentur Athei speculativi, qui certò persuasi sint non esse Deum, & in eâ persuasione acquiescant?

XII. An cognitio Dei naturalis sit obscura, an vero clara, perspicua, evidens?

XIII. An omne illud verum sit, quod quis clarè & distinctè percipit?

XIV. An quis in hac vita in Philosophicis aut Theologicis possit esse immunis ab omni errore?

XV. An, si cognitio depēderet à libero arbitrio, possit esse immunis ab omni errore?

XVI. An judiciū sit in voluntate, an in intellectu?

XVII. An sensus, & cognitio sensitiva, faciant ad cognitionem Dei naturalem, & supernaturalem?

XVIII. An anima nostra intellectiva, quamdiu est in corpore, debeat abstrahi ab omnibus Phantasmatibus & sensibus internis atque externis, & esse quasi separata; ad veram Dei, & aliarum rerum notitiam tum naturalem, tum supernaturalem acquirendam?

XIX. An dubitatio sit Principium aut via ad scientiam rerum Divinarum aut humanarum, aut utrarumque acquirendam; ut homo se faciat volens ac sciens tabulam rasam?

XX. An Logica ac Philosophia rectè dicatur inservire Theologiæ explicandæ, docendæ, & contra adversarios defendendæ?

XXI. An Ratio humana aut Philosophia (specialiter

liter hodierna & recens aliqua) sit S. Scripturæ
interpres, & interpretationis norma infallibilis?

XXII. *An* Metaphysica inserviat explicationi
& defensioni Theologiæ contra quosvis adver-
sarios?

XXIII. *An* rectè dici possit, Metaphysicam, seu
Primam Philosophiam esse traditam ab eo, qui in
duas quæstiones de Existentiâ Dei, & de Distinctione
Animæ à corpore, inquisivit?

XXIV. *An* talis Metaphysica, contra Opponen-
tes, pro posse & nosse explicata ac defensa, maxi-
mè inserviat discendæ, docendæ, & defendendæ
Theologiæ scripturariæ & reformatæ?

XXV. *An* Theologiæ genus univocum possit
assignari ex quinque habitibus Mentis Aristoteli-
cis? Ethic. Lib. VI.

XXVI. *An* Theologia sit Disciplina Theoretica,
an Practica, an vero Practico-theoretica?

XXVII. *An* Methodo Syntheticâ, an Analyticâ
tradenda sit?

XXVIII. *An* sit rationativa, & per consequenti-
as probativa?

XXIX. *An* terminis nullis, nisi scripturariis, id
est, syllabatim ibi exstantibus, uti debeat?

C A P U T II.

De S C R I P T U R A.

I. **A**N principium Theologiæ Christianæ in illâ
ipsa Theologiâ probetur; an vero præsuppo-
natur aut sumatur?

II. *An* objectum ultimum & formale Fidei
sit Scriptura?

III. *An* ratio sit principium Fidei, aut norma

a ij

in-

Syllabus Quaestionum

interpretationis Scripturae, aut summus controversiarum iudex?

IV. An Theologia-eleñctica, absq; consequentiis tradi possit aut debeat?

V. An omnes demonstrationes Theologicae *μὴ τὸ ἐν τῷ* in Scriptura haberi & legi debeant?

VI. An ergo Regula Logica, *de Conclusionē sequente partem debiliorem*, argumentationibus per consequentias applicari possit; hoc est, an conclusiones in eiusmodi argumentis rejiciendae sint, tanquam non-scripturariae: quod scilicet Major aut Minor totidem verbis in Scriptura non legatur?

VII. An ratio naturalis, quamvis non sit principium Theologiae supernaturalis, in ea tamen usum habeat; an vero Theologiae isti maximè adversetur.

C A P U T III.

D E

D E O.

I. **A**N omne Ens rectè dividatur in creatum & increatum; primum & secundum; finitum & infinitum; An vero detur tertium seu neutrum, ut: Ideae Platonicae, Sephiroth Iudaeorum, Lux inaccessa Socinianorum, in qua Deus habitet?

II. An haec sit divisio generis univoci in sua univocata; an vero analogi in sua analogata?

III. An

III. An ulla Demonstratio naturalis de existentia Dei dari possit, quæ non sit ab effectu ad causam; aut ad eam reduci non possit?

IV. An Deus sit in prædicamento, & an perfectè definiri possit?

V. An naturaliter demonstrari possit esse Deum; & æquè, quid sit Deus?

VI. An dubitationem affectare, eâque uti liceat, tanquam principio seu instrumento, ad scientiam de Deo obtinendam, maxime necessario, aut saltem utili?

VII. An quis homo, præsertim Philosophus (sive Christianæ, sive Mahumedicæ, sive Iudaicæ, sive Ethnicæ religionis) unquam debeat dubitare an sit Deus?

VIII. An attributa Dei merè formaliter aut realiter, aut ex natura rei formaliter; an vero ex natura rei virtualiter, seu eminenter ab essentia Divina & inter se distinguantur?

IX. An Aristotelica definitio Substantiæ Deo conveniat, ac proinde accidentia sint in Deo?

X. An Deus propriè & strictè dici possit esse in loco aut spatio?

XI. An & quomodo possit dici, Deum esse & ubicari in mundo & extra mundum?

XII. An actiones Dei sint subjectæ diversis temporum differentiis?

XIII. An Deus cognoscat discursive seu per discursum?

XIV. An Deus universalia cognoscat universaliter, hoc est, per abstractionem præcisivam?

XV. An detur in Deo Scientia media, seu conditionata futurorum contingentium?

XVI. An Decreta Dei, seu ejus volitiones, seu

seu

Syllabus Quaestionum

seu voluntas, sint effecta realiter, ab essentia Divina, tanquam causa sua distincta?

XVII. *An jus naturale Divinum, & secundum illud justitię punitivę exercitium sit liberum, an vero necessarium?*

XVIII. *An jus naturale & Divinum, seu jus naturale quoad Deum, & quoad hominẽidem sint?*

XIX. *An omnia præcepta moralia ceremoni- alibus contradistincta, sint juris naturalis quoad Deum & fluant ex natura Dei?*

XX. *An Deus posset facere, quę implicant con- tradictionem?*

XXI. *An implicatio contra dictionis tantum sit cum prædicata in primo modo dicendi per se negantur de subjecto; an vero etiam implicetur contra dictionem, cum prædicata in secundo modo dicendi per se de subjecto negantur?*

XXII. *An implicetur contra dictionem, cum alicujus rei Differentia specifica, aut proprium essentialis formaliter alteri subjecto specie diverso tribuitur, seu de eo prædicatur?*

XXIII. *An implicetur contra dictionem: Acci- dens esse sine subjecto; Modum rei intrinsecum esse absque re illa, cujus est modus; Corpus humanum absque quantitate, localitate aut ubicatione, & tale corpus aliud penetrare, hoc est, duo corpora esse in eodem loco: Corpus humanum esse infinitum, immensum, omnipræsens, ubique: Corpus huma- num esse in pluribus locis totalibus, aut in omni- bus locis simul: Vnum idemq; numero corpus hu- manum esse simul in cœlo & in terra, Romæ & Vi- trajecti; illic moveri sursum, hic deorsum; hic fri- gere, illic calidum esse; illic ægrotare, hic esse sa- num: Aliquid posse mutari in præexistens?*

XXIV. *An*

*XXIV. An vulgata personæ definitio Deo absq;
ulla negatione & modo eminentiæ applicari ac tri-
bui possit?*

XXV. An numerus quātitativus cadat in Deum?

*XXVI. An Deus resp̄ctu trium personarum
sit totum essentiale, aut integrale, aut potestativū,
aut universale?*

*XXVII. An generatio filii ejusdē sit speciei aut ge-
neris sive propinqui, sive remoti, cum substantiali
generatione corporum naturalium, & hominum?*

C A P U T IV.

De CREATIONE.

I. *AN mundus sit ab æterno, an vero in tempore
creatus?*

II. *An opinio de æternitate mundi naturali ra-
tione refutari possit?*

III. *An aliqua creatura possit, vel potuisset esse
ab æterno?*

IV. *An creatio ex nihilo naturali ratione defen-
di possit: & an ea repugnet Physicæ Aristotelicæ
principiis?*

V. *An angelus, aliave creatura creare possit, tan-
quam causa creationis principalis aut instrumen-
talis?*

VI. *An dependentia creaturæ & hominis, à
Deo in fieri, esse, & operari sit essentialis seu ne-
cessaria?*

VII. *An ullum ens creatum operetur per suam
essentiam; seu, an sit immediatum suæ operationis
principium?*

VIII. *An mundus sit unus: & an argumentum
pro unitate mundi à Dei unitate desumptum, sit*

validum?

IX. An Deus plures potuisset aut posset creare mundos?

X. An concipienda sint extra hunc mundum, & ante mundum conditum spatia, quæ vocant imaginaria, seu possibilia, seu negativa?

XI. An mundus sit infinitus?

XII. An mundus prius potuisset creari, quam creatus est?

XIII. An mundus sit animatus, seu animâ (& quidem intellectivâ) præditus.

XIV. An Deus in principio creaverit Chaos, seu materiam informem; unde omnia corpora naturalia postea producta essent; an vero creaverit cælum & elementa?

XV. An cælum beatorum & stellatum naturaliter sit incorruptibile?

XVI. An materia cæli stellati sit specie eadem cum sublunari?

XVII. An ex S. S. aut ratione probari possit cælum aqueum seu chrySTALLINUM?

XVIII. An cælum & corpora cœlestia moveantur, terra autem quiescat?

XIX. An Luna dicatur lumine magnum secundum errorem vulgi, à Spiritu S. sic adoptatum, seu non indicatum?

XX. An S. S. dicendo terram quiescere, solem moveri, noluerit tamen hæc asserere aut docere?

XXI. An Sol cum reliquis astris quarto die sit creatus; & an Lux primo die creata eadem fuerit cum ea, quæ quarto die in stellis fuit?

XXII. An Lux sit substantia, an vero qualitas?

XXIII. An Deus ab initio creaverit monstra & mulos?

XXIV. An

XXIV. An in rerum natura dentur Phœnicēs, Basilisci, Pellicani, Unicornu; quales vulgò describuntur?

C A P U T V.

De Creatione hominis ad Imaginem Dei.

I. AN dentur homines marini, in aquis viventes, ut sunt: Nereides, Syrenes, &c. item in terris Pygmæi, Cynocephali, Sciapodes, Arimaspi?

II. An gigantes & nani, seu pumiliones existant, aut existere saltem possint?

III. An mulier sit monstrum aut appendix operum creationis, aut pars viri; an vero homo ejusdem speciei cum viro?

IV. An homo possit generari ex bestiis, aut bestia ex homine?

V. An ex hominibus possit generari brutum?

VI. An homo possit generari ex putri materia; aut ex artificiali Paracellicâ mixturâ, quam refert Sennertus Lib. II. de consensu & dissensu &c.

VII. An anima humana sit essentialis forma & pars hominis?

VIII. An informet totum corpus, & sit tota in toto, & tota in qualibet corporis parte?

IX. An sit qualitas corporea, aut temperamentum, aut alia quævis relatio, aut cogitatio, aut alia quævis actio transiens, aut modus, sive purus, sive entitativus, corporis?

X. An una sit anima in homine, an vero tres?

XI. An sit universalis omnium hominum intellectus agens, ut voluit Averroës?

XII. An omnes animæ essentiâ, propriis essentialibus, & dignitate sint æquales?

b

XIII. An

Syllabus Questionum

XIII. An facultates animæ rationalis, qua talis, rectè distinguantur in intellectum & voluntatem?

XIV. An proprietates animæ ab eâ, & inter se realiter distinguantur?

XV. An anima sit rasa tabula, ut voluit Aristoteles: an veto scientiâ à primo ortu sit instructa, & omnis discentia hominis sit reminiscencia, ut voluit Plato?

XVI. An notiones & conceptus omnium rerû, seu omnium *γνώσεις* sint homini congenitæ seu implantatæ?

XVII. Idem quæritur de speciebus intelligibilibus impressis?

XVIII. An & quomodo Cor possit dici sedes animæ?

XIX. An voluntarium & liberum differant, uti distinguit Becanus in Theologia Scolastica; ut scilicet illud sit circa finem ultimû, istud circa media?

XX. Quænam sit definitio liberi arbitrii, seu libertatis, & quænam libertas sit homini naturalis, atque ab eo inseparabilis?

XXI. An corpus sit pars essentialis hominis, & naturale animæ domicilium & consortium: an vero sit ejus carcer, ut voluit Plato?

XXII. An corpora omnia humana quod ad actiones Physicas subjiciantur incorporeæ animæ hominis.

XXIII. An Iustitia originalis fuerit substantia in Adamo: an vero habitus, seu collectio habituum?

XXIV. An homo ante lapsum potuerit dici immortalis quoad corpus, cum indiguerit cibo & potu?

XXV. An vis Phantastica hominis per se & directè sit operativa in corpus hominis, aut in corpora alia extra hominem?

CA.

C A P U T VI.

De A N G E L I S.

I. **A**N naturaliter Angelos bonos esse à priori demonstrari possit?

II. An Aristoteles rectè probaverit angelos ex motu orbium cœlestium?

III. An angeli sint corporei?

IV. An sint animalia, ac qualitates sensitivas & affectus habeant?

V. An plures angeli possint esse in uno loco, & unus in pluribus locis totalibus realiter distinctis?

VI. An angeli localiter moveantur?

VII. An angeli intelligant per discursum?

VIII. An Aristoteles agnoverit diabolos?

IX. An substantiæ diabolorum & facultates seu potentiæ primæ sint malæ?

X. An immediatè & directè à rebus corporeis pati & affici possint?

XI. An angeli creare possint, miracula edere, homines generare, eosdemq; in lupos transformare; cursum cœli & cœlestium corporum sistere; integra elementa aut astra loco movere?

XII. Quid veri sit de incubis & succubis, qui cū diabolo coire, & per diabolum aut ex diabolo dicuntur generare?

XIII. An diabolus futura certò prædicere possit?

XIV. An angeli boni, diaboli, animæ separatæ (breviter, Spiritus) aliis Spiritibus loquantur, & quo modo?

C A P U T VII.

De Providentia Dei.

- I. **A**N dependentia creaturæ à Creatore sit essentialis?
- II. An concursus causæ primæ cum causa secunda, imo & præcursor seu præmotio sit necessaria?
- III. An Dei concursus sit determinans, an determinabilis?
- IV. An omnis causa secunda sit vera causa; an vero prima tantum agat ad præsentiam causæ secundæ?
- V. An Scientia aut Voluntas Dei habeant aliquam causam aut conditionem, aut antecedens (sive naturam, sive in signo rationis) extra se, à quo determinetur ad aliquid definitè cognoscendum & discernendum?
- VI. An libertas, contingentia, possibilitas, aliquam ratione consistere possint cum aliqua necessitate?
- VII. An respectu decreti divini omnia possint dici evenire necessariò?
- VIII. An terminus vitæ sit fatalis, an vero mobilis?
- IX. An ex hac sententia sequatur fatum Stoicum; & an, ac quale fatum sit admittendum?
- X. An Dei decretum & providentia proprie dici possint directe & immediate versari circa universalialia?
- XI. An Dei decretum & providentia sint unum seu una; an vero multa?
- XII. An Deus agat immediate immediatione virtutis & suppositi?

C A P U T VIII.

De P E C C A T O.

I. **A**N detur malum, & an sit ens, sive substantia, sive accidens; an vero sit privatio?

II. An peccatum, qua tale, habeat causam efficientem aut finalem proprie dictam?

III. An malum efficiat seu producat effectum?

IV. An diabolus, aut alia aliqua causa externa sit causa peccati hominis?

V. An dari possit summum malum, sicut datur summum bonum?

VI. An peccatum originale sit ens aut aliquod positivum?

VII. An siquidem anima non esset ex traduce, peccatum originale propagari deberet per corpus?

VIII. An ullum detur peccatum in quo distingui non possit actus substratus aut facultas naturalis ab anomia?

IX. An rectè dicatur ab Ethicis, esse habitus vitiosos ab actibus vitiosis distinctos?

X. An in peccatis omissionis distingui possit anomia ab ente, cui anomia inhæret aut adheret?

XI. An Ethici rectè distinguant actiones humanas in spontaneas, invitas, & mixtas?

XII. An iidem rectè tradant circumstantias facere actiones moraliter bonas aut malas?

XIII. An bruta peccent, & consequenter pœnis subjecta sint?

XIV. An omnia peccata sint mortalia?

XV. An omnia sint æqualia?

b iiij

XVI. An

XVI. An aliqua peccata sint immediate & subiectivè in sensualitate?

XVII. An proximè subiectentur in parte rationali?

C A P U T IX.

De Libero & servo arbitrio,

I. **A**n intellectus & voluntas ab anima & inter se realiter distinguantur?

II. An libertas naturalis competat homini in omni statu?

III. An consistat in indifferentia & æquali facultate ad bonum ac ad malum?

IV. An voluntas se ipsam determinet, an vero à iudicio practico determinetur?

V. An libertas naturalis voluntatis humanæ proprie & distincte dicatur liberum arbitrium; an vero melius indifferentia, aut veritabilitas voluntatis aut spontaneitas cum præelectione?

VI. An coactio aut necessitas sive absoluta, sive naturalis possit consistere cum libertate?

VII. An per lapsum corrupta sit aliqua naturalis facultas seu potentia animæ humanæ?

VIII. An bene explicari possit vulgatum illud: Per lapsum supernaturalia sunt amissa, naturalia vero corrupta seu læsa?

IX. An Deus voluntatē irresistibiliter determinans, lædat ejus libertatem, aut ei vim inferat, aut eam cogat?

X. An in concursu & determinatione Dei circa actus voluntatis distingui possit & debeat vitalitas seu naturalitas actus, ab ejus moralitate, spiritualitate, supernaturalitate?

C A P U T X.

De Pœnis Peccatorum.

- I. **A**N reatus possit separari à peccato?
II. An pœna sit malum an bonum?
III. An unum idemque possit esse malum culpæ & pœnæ, & consequenter malum & bonum?
IV. An diaboli & animæ damnatę torqueantur aut torqueri possint igni corporeo?
-

C A P U T XI.

De PRÆDESTINATIONE.

- I. **A**N omne agens, etiam Deus, agat propter finem?
II. An in decretis Dei finis sit prior mediis?
III. An Deus excidat suo fine?
IV. An Dei voluntas habeat extra se aut habere possit causam aliquam aut conditionem antecedentem, à quâ determinetur, limitetur, conditionetur, aut quacunque ratione dependeat?
V. An qui destinat ad finem, etiam destinet ad media?
VI. An accurate dicatur peccatum subordinari decreto damnationis tanquam medio?
-

C A P U T XII.

De Fœdere Veteri & novo.

- I. **A**N fœderatio seu fœdus sit formaliter Dei decretum seu actio immanens, an vero sit executio, seu actio externa & emanans?
II. An circumstantię specificam differentiam faciant?
III. An

Syllabus Quaestionum

III. An foederi repugnet & implicet contradicti-
onem, si pars una contrahens alterius partis condi-
tionem, quam illa praestare tenetur, impleat aut
impleri faciat?

C A P U T XIII.

De Deo Redemptore, & Christo Mediatore.

I. **A**N una eademque persona possit esse se ma-
jor & minor, subordinans & subordinata?

II. An justus iudex & simul mediator apud iu-
dicem, id est, apud se ipsū, posset esse una persona?

III. An una persona possit esse causa prima &
secunda?

IV. An unius personae operantis Energemata seu
apotelesmata distinctis *ενεργειαις* secundum distincta
principia energetica describi possint?

C A P U T XIV.

De I N C A R N A T I O N E.

I. **A**N duae substantiae singulares seu individuae,
realissime distinctae, possint esse unius eju-
demque personae?

II. An Christi persona proprie dici possit totum,
cujus partes sint duae naturae?

III. An virgo naturaliter concipere possit?

IV. An Maria Christum genuerit & quidem ge-
neratione univocae?

V. An Christus secundum naturam humanam sit
idem specie nobiscum, & quidem absque distincta
persona humana, & generatione ex viro?

VI. An mulieres activè ad generationem concu-
rant, tanquam generantes; an tantum passivè seu
ma-

materialiter suppeditando aliquam materiam necessariam ex qua?

VII. An B. virgo Maria clauso utero pepererit?

VIII. An virginitas formaliter consistat in clausura, seu non apertione uteri; & contra laesa virginitas consistat in quacunque apertione uteri?

C A P U T XV.

De Officiis & Merito Christi.

I. **A**N quisq; possit de Iure suo remittere?

II. An quis possit sibi ipsi satisfacere?

III. An peccatum proprie dici possit causa impulsiva satisfactionis Christi?

IV. An meritum Christi proprie dicenda sit causa prima & principalis; an subordinata, & ad impulsivam seu protatarcticam reducenda?

V. An proprie possit dici solutio & satisfactio, ubi locum habet Acceptilatio?

VI. An in criminalibus, seu potius capitalibus dari & recipi possit Sponsor pro crimine nocentis?

C A P U T XVI.

De Statu humiliationis & de perpeffionibus Christi.

I. **A**N Deus, qui immutabilis est, possit aut poterit exinaniri; *Philip. 2. 7.*

II. An naturaliter absque miraculo quis sanguinem sudare possit?

III. An naturaliter sanguis & aqua ex homine mortuo effluere possit?

IV. An acetum & vinum myrrhatum vulneratis acceleret mortem?

V. An cordis vulnus semper praesentem accersat mortem?

VI. *scilicet*

Syllabus Questionum

VI. An, ubi naturæ duæ *αἰσθητικῆς & ἀνοητικῆς* in unam personā sunt unitæ, una possit aliā deferere?

C A P U T XVII.

De Exaltatione Christi.

I. **A**N ascensio Christi fuerit verus motus localis, in quo omnia motus requisita inveniuntur?

II. An motus hic fuerit novus in mundo?

III. An corpus glorificatum per se & naturaliter ascendat sursum?

IV. An ascensio Christi possit dici vectio, & species motus violenti seu contra naturam, an vero præter naturam?

V. An supra cælum stellatum sit locus?

VI. An corpus Christi sine quantitate sit aut possit esse, aut sine terminis quantitatis, sine ubi, situatione, loco interno, localitate?

VII. An sit aut possit esse in pluribus locis simul, aut ubique?

VIII. An Christus *θεῖον ὄντος*, etiam secundum humanam naturam, verè uniatur fidelibus in terra existentibus, iisque verā præsentiam adsit, & verè ab iis percipiatur?

IX. An uniatur fidelibus corporaliter; unione, præsentiam, perceptione, manducatione corporali?

C A P U T XVIII.

De Gratia regenerante, convertente, salvifica.

I. **A**N Gratia rectè & secundum Scripturam possit dici Natura?

II. An sit ipse Deus; an creatura: & si posterius, an substantia, an accidens; & quale?

III. An sit facultas intellectus & voluntatis prima

ma

ma aut secunda; an vero, aliquid illis superadditū?

IV. An ergo potius referenda ad primam speciē Qualitatis (Habitum scil.) an ad secundam?

V. An in primo momento conversionis voluntas se habeat pure passivè, ut subjectum; an verò etiam activè?

VI. An recte dici possit, Gratiam Dei physice & moraliter operari conversionem hominis?

VII. An conversio illa in primo momento sit dicenda voluntaria an involuntaria?

VIII. An voluntas possit dici determinari a Gratia, tum in primo, tum in secundo momento conversionis?

C A P U T XIX.

De Fide, Perseverantiâ & Iustificatione.

I. AN dentur habitus compositi, qui simul sint in intellectu & voluntate?

II. An Fides sit demonstratio; & certitudo, atque evidentia eius sit demonstrativa?

III. An Fidei objectum immediatum sit ens simplex, an vero complexum?

IV. An perseverantia Fidei salvificæ in se, formaliter, & specificè eam distinguat à Fide hypocritica aut temporaria?

V. An enunciatio hypothetica aliquid ponat in esse?

C A P U T XX.

De ECCLESIA.

I. AN Ecclesia sit ens unum per se, an verò per accidens, seu collectivum, aut aggregatum?

Syllabus Quaestionum

II. *An totum universale, essentiale, aut integrale; an verò individuum sit dicenda?*

III. *An possint esse certæ notæ seu gnorismata alicujus rei, quæ cum illa non reciprocantur?*

IV. *An Catholicum Romanum dicat contradictionem in adjecto?*

V. *An Monarchia sit præstantissima regiminis forma, adeoque Ecclesiæ conveniat?*

C A P U T XXI.

*De Signis in genere; & in specie de Prophetia
& Miraculis.*

I. **A**N dentur nature miracula, & an inter ea numeranda Eclipses, Sympathiæ, Antipathiæ, Æstus Maris, Cruentationes cadaverum ad præsentiam homicidarum, &c.

II. *An veta miracula sint contra naturã universalem, seu contra legem Dei & ordinem in initio creationis rerum statutum?*

III. *An Prophetia, seu Prophetiæ donum, sit habitus, an vero purus putus actus transiens?*

IV. *An Prophetia reduci possit ad vim animæ, seu corporis temperiem ac complexionẽ, tanquam principium & causam suã naturalem aut peculiarẽ?*

C A P U T XXII.

De Sacramentis in genere & specie.

I. **A**N disparatum de disparato possit prædicari prædicatione propria?

II. *An signum possit esse signatum, & vice versa?*

III. *An aqua possit elevari ad Physicam & directam productionem Gratiæ in anima hominis?*

IV. *An*

IV. *An in infantibus modo natis sint cogitationes humanæ seu rationales notitiæ, moraliter bonæ vel malæ; & consequenter, an tales possint elicere actus Fidei?*

V. *An & quomodo dici possit, in iis actu esse Fidem habitualem?*

VI. *An Tropus in istâ propositione, Hoc est corpus meum directè & immediatè sit in subjecto, aut in cõpula, aut in tota enunciatione, aut in prædicato?*

VII. *An memoria, seu recordatio sit rei præsentis?*

VIII. *An accidentia panis possint esse sine suâ substantia?*

IX. *An relatio quæ talis, ad sui introductionem indigeat Essentiæ aut Qualitatum mutationem in subjecto?*

C A P U T XXIII.

De fine Mundi, & Quatuor Novissimis.

I. **A**N possit esse creaturæ inclinatio ad sui annihilationem?

II. *An sancti videant Deum comprehensivè, aut per essentiam directè & immediatè?*

III. *An Deus videri possit oculis corporeis?*

IV. *An ignis materialis torquere possit, aut in inferno torqueat diabolos & animas separatas?*

V. *An ψυχαγωγία naturaliter aut per artes Magicas exerceri possit?*

VI. *An corpus sit pars essentialis hominis?*

VII. *An naturaliter detur regressus à privatione ad habitum?*

c. iij

VIII. *An*

Quaestiones, circa quas Theologi,

VIII. An Resurrectio mortuorum naturaliter à priori demonstrari possit?

IX. An corpus humanum immutetur aut mutari possit in spiritum post resurrectionem, & tamen manere corpus humanum?

X. An corpora gloriosa sint in loco, & localiter moveantur?

XI. An Mundus siquidem non sit annihilandus, possit dici substantialiter mutandus?

QVÆSTIONES ALIQVOT,
CIRCA QUAS THEOLOGI, PHI-
LOSOPHI PRACTICI, ET JU-
RIS-CONSULTI, COMMU-
NITER VERSARI SO-
LENT, AUT POS-

SUNT. A C

CAPUT I.

De MAGISTRATV.

I. AN ejus potestas fundetur in Jure Divino & Naturali, & consequenter ejus usus sit licitus in Novo Testamento?

II. An Magistratus habeat Jus gladii?

III. An potestas ejus se extendat, ad quaslibet personas, quaelibet negotia, & quaslibet causas, tum Seculares, tum Ecclesiasticas?

IV. An potestas ejus sit absoluta, & exercitium ejus nullis legibus subjectum?

V. An coercere possit Heresim, Atheismum, Epicureismum, Superstitionem, Magiam, Idololatriam, Schismata: an vero libertatem omnibus illis concedere

concedere debeat?

VI An possit inquisitionem, & coactionem Conscientiarum introducere?

VII. An, & quomodo, & quo in casu, Magistratui resisti possit, resistentiâ non solum negativa, sed & positiva?

VIII. An Magi possint extremo supplicio affici?

IX. An Magiæ crimen judicandum sit a Tribunali Ecclesiastico?

C A P U T II.

De DOMINIO RERUM.

I. An sit distinctio Dominiorum, & Iure Divino, & Naturali?

II. An Dominium bonorum temporalium, fundetur in gratiâ?

III. An modus acquirendi legitimus sit Ius Belli?

IV. An Mare sit alicujus in bonis, atq; adeo Princeps quis particularis dici possit Dominus Maris?

C A P U T III.

De IVRE & IVSTITIA.

I. An Ius rectè dividatur in Publicum & Privatum, Naturale, Gentium, & Civile?

II. An quæ sunt Iuris naturalis, sint immutabilia?

III. An Iustitia propriè dicta, sit inter Parentes & Liberos, Maritum & Vxorem, Dominum & Servum?

IV. An omnia præcepta Decalogi sint Iuris Naturalis?

V An aliquis possit sibi Injuriam facere?

VI An volenti fiat Injuria?

CA.

C A P U T IV.

De LEGIBVS.

- I. An homines possint ferre leges obligantes in Conscientia, sive sint Civiles sive Ecclesiasticae?
- II. An per Leges humanas omnia vitia cohibeantur, aut cohiberi possint?
- III. An aliquis possit eximi à Lege Civili?

C A P U T V.

De Iure Civili & Canonico.

- I. An seu quae sint censurà notanda, & quae imprimis oppugnanda in Iure Canonico?
- II. An Ius Canonicum apud Reformatos in Politicis obtineat?
- III. An in Corpore Iuris Civilis nevi aliqui ostendi possint, & an propter honorem Corporis sine correctione praetereundi?
- IV. An plures sint ibi naevi, quam in Corpore Canonico errores, partim graviores, imo gravissimi?
- V. An & quomodo Iuris-Consulti Reformati dicantur Doctores Iuris Canonici?

C A P U T VI.

De Iudiciis Criminalibus & poenis.

- I. An tantum iudicia exercenda circa crimina quae iudicio sistuntur aut offeruntur ab accusatoribus privatis aut publicis, id est, Praetoribus, Censoribus, Promotoribus, Officiariis?
- II. An aliquis respectus personarum in iudicio locum habere possit?
- III. An licitum sit adhibere Torturam?
- IV. An reo ex carcere profugere, eumque effringere

effringere liceat?

V. An Advocatus debeat suscipere solammodo causam justam?

VI. An Iudici liceat pœnas relaxare, aut dimittere?

C A P U T VII.

De F O E D E R I B V S.

I. An, & quæ fœdera cum infidelibus, aut Hæreticis, inire possimus?

II. An fœderis juramento utraq; pars confirmari possit, ubi altera pars juratura est per falsū Deum?

III. An fœdera cū infidelibus inita sint servanda?

C A P U T VIII.

De B E L L O & P A C E.

I. An Bellum sit licitum in N. Testamento?

II. An suscipi, aut geri possit à privatis, aut publica potestate Ecclesiastica, aut ab Episcopis?

III. An Christiani propter solam Religionem falsam & infidelitatem, Bello offensivo persequi possint infideles idololatricos?

V. An Bellum sit suscipiendum in Turcā Christianis Principibus?

V. An liceat opitulari alicui in Bello, cujus causa est injusta; aut saltem dubia?

VI. An Ius Repræsaliorum sit licitum?

VII. An Bellum quamvis justum, juste geratur absque debito temperamento?

VIII. An liceat uti Proditoribus, Exploratoribus, Stratagematis?

IX. An Bellum Belgicum, contra Regem Hispanicum gestum, sit injustum?

d

x. An

X. An illud gestum sit pro libertate civili, aut tantum pro libertate Conscientiæ seu exercitii: an vero etiã pro verâ Religione, retinenda, ubi erat, & introducenda, ubi non erat?

C A P U T IX.

De POTESTATE ECCLESIASTICA.

I. An potestas Ecclesiastica, & quomodo semper distingui debeat ac possit a Politica?

II. An pœnæ Politicæ, & Censuræ Ecclesiasticæ, semper distingui possint ac debeant?

III. An Ecclesia cum sua potestate sit in Republica, an vero contra?

IV. An Ecclesiæ potestas, qua talis, per se & directè subordinetur Potestati Politicæ, qua tali?

V. An exinde non sequatur esse duas potestates collaterales in Republica, consequenter incompatibiles: seu, an sit Respublica in Republica, Imperium in Imperio?

VI. An Papa Iure Divino aut humano, sive Ecclesiastico, sive Publico, sit Præses, aut Moderator Reipublicæ Christianæ, aut etiam Monarcha, sive directè, sive indirectè?

VII. An Papa, qua talis, sit aut dici possit neutralis, respectu Regni, aut Reipubl. Reformatæ?

VIII. An Regna, aut Reipubl. Reformatæ, Papam aut ejus Legatos ad conventus, & tractatus Politicos, qualitate Præsidis, aut Arbitri, aut Domini supremi, aut inter Politicos Dominos primi, admittere possint; aut si arcere nequeant, absq; protestatione, aut exceptione contra ejus qualitatem, actiones inchoare debeant?

IX. An cum ipso, aut ejus Legatis, agi possit qualitate solummodo unius ex Principibus Italiae, rati-

one scil. Romaniae, seu patrimonii Petri?

X. An Disciplina Ecclesiastica, prout Catechesi, Liturgiâ, & Statutis Ecclesiasticis describitur, repugnet, aut præjudicet potestati Magistratus, & libertati politicæ Belgarum; & an aliqua ratione symbolizet cum Inquisitione Hispanica?

C A P U T X.

De BONIS ECCLESIASTICIS.

I. An Bona Ecclesiastica, unde pauperes, & Ministri sustentandi, expensa in propagationem Fidei, conventus publicos, & loca & instrumenta necessaria, fieri debeat, à privatis hominibus, concedente Magistratu, aut à Magistratu, pro arbitrio in privatos usus converti possint?

II. An Ministris Iure, tanquam merces, debitum stipendium procuretur: an vero gratis tanquam elemosyna?

III. An Reipublicæ necessitate exigente superflui redditus Ecclesiastici, si qui abundant, in usum Reip. quæ fovet ac defendit Ecclesiã, possent converti?

C A P U T XI.

De CONIUGIO.

I. An Conjugia à Pueris iniri possint?

II. An à frigidis, Eunuchis, impotentibus?

III. An eorum ordinatio & directio, per se pertineat ad potestatem politicam?

IV. An propter quasvis causas possint fieri Divortia & Repudia?

V. An alicui legitimè conjugato liceat, vivente conjuge, ad secundas nuptias transire, extra casum adulterii, & malitosæ desertionis?

QVÆSTIONES,
Pertinentes ad
POLITIAM ECCLESIASTICAM.

* *Ad PRIMAM PARTEM.*

- I. AN Ius Susceptorū sit aliquod in educatione infantis, contra Tutores aut proximos agnatos?
- II. AN Concionatoribus distincta & peculiaris forma vestium præscribenda sit?
- III. AN deductiones funerum Papisticę in Repub. Reformata sint tolerandę?
- IV. AN cadavera facinorosorum in rotâ infelpulta relinqui possint?
- V. AN pertineat ad Ecclesiam legitimare aliquem?

* *Ad SECUNDAM PARTEM.*

- I. AN Lectores, Præcentores, Proponentes, Catechistę sint Ministri Ecclesiastici; an vero adiutores Ministrorum?
- II. AN Ius, quod vocant Patronatus, fundetur in Iure Divino, aut antiquo Ecclesiastico?
- III. AN Organa, aliaq; Instrumenta Musicalia pertineant ad Ministeria sacra; adeoq; Organistę sint Ministri Ecclesiastici?
- IV. AN Militia, quam vocant, sacra, seu Equites sacri, & Milites ecclesię, eorumq; vota seu Inramenta præstita aut præstanda, consistere possint cum religione & politia reformata?
- V. AN penes Magistratum sit electio, institutio, & authorizatio Ministrorum?

* *Ad TERTIAM PARTEM.*

- I. AN Magistratus Concilia Ecclesiastica convocare, iisque præsidere debeat?

II. AN

II. An ipso jure Magistratus aut totum Concilium, aut partem ejus faciat, aut saltem ibi ius habeat suffragii decisivi, pro sua parte?

III. An Magistratus conventicula infidelium prohibere possit, & si affirmetur, an tum coactio Conscientiarum, & inquisitio Hispanica introducatur?

IV. An Bellum Belgicum sit inchoatum, continuatum, finitum, ab ecclesia, aut ejus Ministris & Consistoriis?

V. An inchoatum sit pro Religione, an vero pro libertate politica?

VI. An ab Ordinibus Generalibus XVII Provinciarum, post Pacificationem Gandavensem, gestum sit pro Religione contra Hispanos, an vero pro libertate politica?

VII. An à quibusdam Provinciis, scil. Hollandia & Zeelandia tum temporis etiam pro Religione reformata gestum sit?

VIII. An post exautorizationem Regis (anno 1581.) aperte & directè gestum sit, & pro religione publica, & quidem solà cum exclusione Papistica, & pro libertate politica?

IX. An Papistis liberum exercitium sit concedendum, & quidem omni Iure, quia, ut prætendunt, pro Religionis illius, & quidem solius, publica libertate ac defensione bellum susceptum sit?

X. An ergo fidem non servaverint Ordines fœderati, quod Pontificiis libertatem abstulerint, & adhuc negent?

XI. An religio Papistica, ut dependet à Sede Romana, sit compatibilis in Republ. reformata?

XII. An hodie libertas ipsis concedenda, quia ratio illa politica seu status, desumpta ab inclinatione illorum in hostem Hispanum, jam plane cessare videtur?

Quæstiones Miscellæ

XIII. An præseutes Papistæ in Belgio se excusare possint, quod non sint infideles, sed fideles, & boni cives, æque ac Reformati?

XIV. An hoc rerum statu major libertas Papistis sit concedenda?

XV. An libertas Conscientiæ violetur, atq; adeo inquisitio introducatur, si Papistis non permittantur Sacerdotes, qui ipsis Missâ, absolutionem, &c. aliaq; Sacramenta administrant, sine quibus putant servari non posse religionem suam, neque consequenter se ipsos?

QVÆSTIONES MISCELLÆ.

I. **A**N cognitionis naturalis Dei & Naturæ rerû, principium primum sit: *Cogito, ergo sum?*

II. An noster conceptus cujuscunque scibilis sit norma eorû, quæ affirmare aut negare debemus?

III. An prima ratio impossibilitatis sit, si quid à nobis distinctè percipi posse repugnet?

IV. An Intellectui tantum, non verò sensui; imò nec Intellectui aliqua certitudo in cognoscendo tribuenda?

V. An nulla certa cognitio rerum haberi possit, nisi ex sacris Literis; eo quod sensus & intellectus errare possint?

VI. An tanta nobis insit libertas, quâ non major insit Deo?

VII. An Deus in initio Creationis materiam universi per motum diviserit in variæ figuræ particulas, atque ille motus idem sit, qui nunc in Mundo reperitur: &, an hæc sufficiant, ut ex iis particulis a se mutuo remotis, varièque dispositis, tanquam ex causis, omnes effectus in Mundo orientur ac deæ monstrantur?

VIII. An

Questiones Miscellæ.

VIII. An Terram ab initio sydus fuisse ex Mo-
saica creationis historia probari possit?

IX. An per absolutam Dei potentiam vacuum
dari possit?

X. An omnes brutorum motus sint automatici,
instar Horologiorum?

XI. An proxima causa passionum animæ in ho-
mine, nulla alia sit, quam motus glandulæ Pinealis?

XII. An sensibilia aut corpora facilius & prius
cognoscantur à nobis; an verò spiritualia, aut sub-
stantiæ spirituales?

XIII. An sufficiat sic Philosophari de naturali-
bus, & constitutione universi, ut explicetur qualia
esse possint; quamvis revera talia non sint?

XIV. An rectè dicatur, Deum esse a se positivè;
eumq; se ipsum propriâ potentiâ conservare?

XV. An Cometæ sint signa malorum; & an sit
peccaminosum ac superstitiosum hoc asserere?

XVI. An per causarum subordinationē eò tantū
deveniamus, ut agnoscamus intellectus nostri im-
perfectionem, qui infinitam illam seriem compre-
hendere nequeat; an verò certò hinc probari pos-
sit, esse causam primam, Deum?

XVII. An Deus sit omnipræsens virtute non
tantum, sed & immediatè essentiâ?

XVIII. An determinare casus Conscientiæ æque
sit Philosophorum ac Theologorum?

XIX. An peccata sint motus automatici?

XX. An doctrina Theologica, Philosophica,
Historica, Critica, Philologica citra dubitationem
ex præceptotibus hausta, rectè præjudiciū dicatur?

XXI. An Intellectus sit pure passivus?

XXII. An omne vivens si immortale?

XXIII. An accurate dicatur Deus conservare
creaturas,

Quaestiones Miscellae

creaturas, ac cum iis concurrere?

XXIV. *An* Apost. (Col. II.) designet Philosophiam Platoniam, ut Interpr. Belgæ volunt, an vero Peripatheticam?

XXV. *An* initium societatis civilis sit à mutuo metu?

XXVI. *An* Eva Diabolo morem gerens dubitaverit?

XXVII. *An* homines nudè incedentes instar Adamitarum, non peccarent, siquidē legibus & moribus publicis hoc non repugnaret?

XXVIII. *An* adulterium, sit peccatum, quia legibus humanis prohibetur?

XXIX. *An* religio tenenda & excolenda, quæ ab illis, cum quibus versamur, traditur & observatur?

XXX. *An* in actibus pietatis & honestatis, regulæ illæ amplectendæ & tenendæ sint, de quibus dubitamus?

XXXI. *An* peccaret, qui ex obedientia erga Episcopum aut Magistratum suum amplecteretur hæreses, ab illis traditas aut mandatas.

XXXII. *An* controversiæ hodiernæ de Iustificatione sint Philosophicæ?

XXXIII. *An* conjugia inter fratres & sorores, inter novercas & privignos, inter viros & viduas fratrum primogenitorum repugnent Iuri & Legi morali naturali: an vero tantum positivæ ceremoniali aut politicæ?

XXXIV. *An* Polygamia simultanea repugnet Legi morali & Iuri naturali?

INDEX

INDEX

LOCORVM S. SCRIPTVRÆ, QVÆ

Res Naturales attingunt.

*

Coloss. 2. 8.

Jacob. 1. 5... 8.

Levir. 19. 31.

Iesai. 8. 19.

Exod. 7. 11, 12, 22.

Psalms. 58. 5, 6.

Galat 3. 1.

I.

1. Reg. 4. 33.

Eccles. 1. 13, 14.

1. Cor. 15. 37... 41.

Proverb. 8. 26.

Gen. 1. 1. & 2. 19. 32

Gen 1. 12. 21, 24.

Hebr. 11. 3.

Jacob. 3. 7

11.

Ephes. 3. 18.

Apoc. 13. 18.

Actor. 1. 25.

Iohan. 2. 6, 7.

111.

Gen. 1. 3.

Ephes. 5. 13.

Exod

Index Locorum S. Scripturae,

Exod. 10 21, 22.

Col. 2. 17.

Apoc. 21. 21.

2. Chronic. 4. 17.

Eccles. 8. 17.

Actor. 17. 28.

Job. 32. 19, 20.

Matth. 9. 17.

Iacob. 3. 4.

Eccles. 3. 1.

IV.

Iohan. 1. 10.

Gen. 1. 2.

Rom. 8. 19, 20, 21.

Gen. 1. 1.

Gen. 1. 11, 12.

2. Pet. 3. 7, 10.

Iesai. 40. 12.

V.

Gen. 1. 1.

Pfalm. 104. 2.

Pfalm. 77. 19.

Hof. 2. 20, 21.

Iudic. 5. 20.

Pfalm. 102. 27.

Job. 37. 18.

Gen. 1. 14. . . . 18.

Matth. 2. 2, 9.

Gen 11. 5.

Job. 9. 9. & 38. 31, 32.

1. Reg.

Index

Quæ res Naturales attingunt.

2. Reg. 23. 5.

Judæ vers. 13.

Eccles. 1. 4, 5, 6.

Gen. 8. 22.

Iesai. 30. 26.

Matth. 27. 45.

Iesai. 47. 13.

Ierem. 10. 2.

VI.

2. Petr. 3. 12.

Proverb. 27. 3.

Job. 5. 7.

Exod. 3. 2.

Gen. 1. 7.

Gen. 1. 6.

Pfalm. 104. 6...9.

Gen. 1. 10.

Iesai. 40. 22.

Proverb. 8. 27.

Pfalm. 104. 8.

Iesai. 40. 15.

Gen. 1. 9, 10.

Gen. 14. 3.

Pfalm. 104. 10.

Eccles. 1. 8.

Ios. 3. 15, 16.

VII.

Apoc. 3. 15, 16.

Gen. 2. 6.

Job. 24. 19.

eij

Ies.

Index Locorum 3. Scripturae,

Jesaj. 44. 16.

VIII.

Iohan. 12. 24.

IX.

Gen. 2. 7.

1. Sam. 16. 14, 15, 16.

X.

1. Reg. 1. 1.

Pfalm. 32. 4.

Exod. 16. 20.

XI.

Pfalm. 13. 13, 14, 15.

Iob. 37. 2. . . 5.

Iob. 28. 25.

Iohan. 3. 8.

Ierem. 49. 36.

1. Reg. 19. 11.

Actor. 27. 14.

Ezech. 1. 4.

Iob. 9. 5, 6.

Pfalm. 144. 5.

XII.

Gen. 1. 6.

Iob. 38. 37.

Ier. 10. 13.

Iob. 26. 8.

Iudæ vers. 12.

Gen. 7. 12.

Ios. 10. 11.

Gen. 19. 24.

Pfalm.

Quæ res Naturales attingunt,

Pfalm. 78. 26, 27.

Pfalm. 147. 17.

Pfalm. 147. 16.

Proverb. 3. 20.

Exod. 16. 14, 15, 31.

Iob. 37. 10.

Gen. 9. 13, 14.

Ezech. 1. 28.

Matth. 16. 2, 3.

Luc. 12. 54, 55.

XIII.

Gen. 2. 7.

Apoc. 4. 6.

Luc. 14. 34, 35.

Gen. 19. 24.

Gen. 14. 10.

Ierem. 2. 22.

Deut. 8. 9.

Iob. 28. 1, 2, 16.

Ezech. 22. 18.

XIV.

Iob. 28. 3.

Ios. 5. 2.

Apoc. 21. 21.

Exod. 28. 17... 20.

Ezech. 1. 22.

Gen. 2. 12.

XV.

Deut. 12. 23.

Iac. 4. 14.

Gen.

Index Locorum S. Scripturae,

Gen. 5. per totum.

Pfalm. 104. 29.

Eccles. 3. 19, 20, 21.

XVI.

1. Cor. 15. 36.

Pfalm. 1. 3.

Pfalm. 104. 14, 15, 16.

Matth. 3. 4.

1. Reg. 19. 8.

Marc. 7. 18, 19.

Luc. 22. 44.

Iohan. 19. 34.

Gen. 18. 11.

Iob. 8. 11.

Gen. 1. 22.

Levit 12. 2.

Iob. 10. 9... 12.

Pfalm. 139. 14, 15, 16.

Gen. 3. 16.

1. Cor. 15. 8.

Gen. 1. 11, 12.

Cant. 4. 14.

2. Reg. 4. 39.

Gen. 30. 14, 15.

Ion. 4. 6, 7.

Pfalm. 51. 9.

Gen. 9. 20, 21.

2. Reg. 20. 7.

Pfalm. 92. 13.

Gen.

Quæ res Naturales attingunt.

Gen. 2. 9.

XVII.

Gen. 7. 22.

Iesai. 1. 3.

Marc. 8. 24.

Deut. 4. 17, 18.

Gen. 3. 1, 14.

Pfalm. 58. 5, 6.

Actor. 28. 3... 6.

Ier. 8. 7.

Iesai. 14. 29.

Numer. 23. 22.

Gen. 36. 24.

Iob. 40. 10... 28.

Exod. 23. 28.

Ioel. 1. 4.

XVIII.

Matth. 6. 22, 23.

Ephes. 5. 13.

Iob. 42. 5.

Ioh. 3. 8.

Ezech. 7. 7.

Gen. 11. 1, 7.

Exod. 15. 20.

2. Cor. 2. 15, 16.

Iob. 34. 3.

Iesai. 59. 10.

Gen. 30. 37, 38, 39.

Iac. 1. 23, 24.

XIX.

Index Locorum S. Scripturas

XIX,

2. Sam. 17. 29.

Job. 14. 1.

Amos 17. 28.

Jud. 2. 20.

Gen. 31. 40.

Matth. 26. 43.

Dan. 4. 4, 5.

XX

Job. 32. 8.

Matth. 10. 28.

Zach. 12. 1.

Ephes. 4. 18.

Rom. 7. 19.

Gen. 2. 7.

Gen. 2. 21, 22, 23.

Eccles. 12. 2. . . . 7.

Dan. 4. 33, 34.

Numer. 13. 33.

Matth. 19. 12.

Judic. 3. 21.

2. Sam. 2. 18.

*

Apoc. 1. 8.

Proverb. 8. 14.

1. Cor. 8. 4.

Matth. 3. 9.

Luc. 18. 27.

Hebr.

Index Locorum S. Scripturae

Exod. 38. 24, 26.

Num. 1. & 2. per totum.

1. Sam. 14. 26.

1. Reg. 7. 23.

2. Reg. 20. 9, 10, 11.

Pfalm. 68. 14.

Gen. 1. 14, 15, 16

Iudic. 5. 20.

2 Reg. 20. 9.

Pfalm. 19. 5, 6, 7.

Ierem. 31. 35, 36, 37.

Actor. 7. fere per totum.

Gen. 1. 27.

Gen. 3. 8.

Gen. 6. 4.

Gen. 7. 11.

Gen. 19. 10, 11. cum

Luc. 24. 16. &

Ioh. 20. 14, 15.

Gen. 30. 2, 3. cum

2. Paralip. 16. 14.

Levit. 12. 2.

Levit. 13. per totum.

Iud. 3. 21, 22.

1. Sam. 5. 6. & 6. 4. cum

Pfalm. 78. 66.

1. Sam. 8. 10. . . . 18.

1. Sam.

Quæ res Naturales attingunt?

1. Sam. 12. 17.
2. Sam. 4. 5.
2. Reg. 4. 35.
2. Reg. 20. 7.
Job. 37. 18.
Psalm. 58. 5, 6.
Psalm. 104. per totum.
Psalm. 139. 14, 15, 16.
Jesai. 1. 6.
Jesai. 8. 19.
Ezech. 16. 4.

Matth. 4. 24.
Matth. 19. 12.
Matth. 27. 34.
Marc. 15. 23.
Luc. 10. 34.
Luc. 21. 11.
Iohan. 19. 34, 39, 40.
Actor. 12. 23.
Actor. 17. 27. 28.
Iudæ vers. 6. 12.

FINIS.

Quintus Naturalis aringus

1. Sant 1. 17.

2. Sant 4. 7.

3. Reg. 4. 35.

4. Reg. 4. 35.

5. Reg. 4. 35.

6. Reg. 4. 35.

7. Reg. 4. 35.

8. Reg. 4. 35.

9. Reg. 4. 35.

10. Reg. 4. 35.

11. Reg. 4. 35.

12. Reg. 4. 35.

13. Reg. 4. 35.

14. Reg. 4. 35.

15. Reg. 4. 35.

16. Reg. 4. 35.

17. Reg. 4. 35.

18. Reg. 4. 35.

19. Reg. 4. 35.

20. Reg. 4. 35.

21. Reg. 4. 35.

FINIS

Handwritten red ink scribbles and markings at the bottom of the page.

Th evanng gen
661

